# EUSEBII SOPHRONII HIERONYMI ECCLESIAE DOCTORIS COMMENTARIORUM IN ISAIAM PROPHETAM LIBRI DUODEVIGINTI.

## Pars 4

## LIBER DECIMUS QUINTUS.

Crebro, Eustochium, dixisse me novi, Apostolos et Evangelistas ubicumque de veteri Instrumento ponunt testimonia, si inter Hebraicum et Septuaginta nulla diversitas sit, vel suis, vel Septuaginta Interpretum verbis uti solitos. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in veteri editione sensus est, Hebraicum magis, quam Septuaginta Interpretes sequi. Denique, ut nos multa ostendimus posuisse eos ex Hebraeo, quae in Septuaginta non habentur; sic aemuli nostri doceant assumpta aliqua de Septuaginta testimonia, quae non sunt in Hebraeorum libris: et finita contentio est. Hoc diximus, quia praesens capitulum cum in sensu unum sit, in verbis discrepat. A cujus explanatione quintus post decimum in Isaiam liber incipit.

### (Cap. LIV.---Vers. 1.)

Lauda, sterilis, quae non paris: decanta laudem et hinni, quae non parturiebas: quoniam plures filii desertae, magis quam ejus quae habebat virum, dicit Dominus.

LXX: Laetare, sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis: quia plures filii desertae, magis quam ejus quae habet virum. Dixit enim Dominus. Symmachus hunc locum ita interpretatus est: Laetare,

sterilis, quae non peperisti. Gaude in exultatione, et hinni, quae non parturisti: Plures enim filii dissipatae, magis quam ejus quae erat sub viro. A quo Theodotio et Aquila praeter pauca verba non discrepant. Post nativitatem Salvatoris, et ordinem vitae atque virtutum, passionem crucis, et resurrectionis gloriam, quando ponens animam suam, vidit semen longaevum, et in scientia sua ipse justus justificavit plurimos, et fortium divisit spolia, et pro transgressoribus rogavit, dans locum poenitentiae, transit ad vocationem gentium, et qui in illo sint credituri, pleno sermone describit. Quem quidem locum et apostolus Paulus sub nomine Sarae et Isaac, refert ad Ecclesiam (Galat. IV, 27 et seqq.), quod prior populus de monte Sina et Agar serviat cum filiis suis; sequens autem liber sit, de quo dicit Isaias: Laetare, sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis: quia plures filii desertae, magis quam ejus quae habet virum; et statim: Nos autem, inquit, fratres, secundum Isaac repromissionis filii sumus. Sed sicut tunc qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus. Non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae. Nos autem, fratres, non sumus filii ancillae, sed liberae: qua libertate donavit nos Christus (Galat. IV, 27 seqq.). Si igitur vas electionis, assumens de Isaia testimonium, quod nunc habemus in manibus, ad repromissionis retulit filios, et ad Ecclesiam de gentibus, seu ex utroque populo congregatam, quae deserta in Judaeis fuerat et relicta, quae virum non habuerat Deum, nec Legem acceperat nec Prophetas, ipsa ratione compellimur sequi vestigia praecessoris, et desertam eam dicere, de qua supra (Ad cap. XXXVI) legimus: Laetare, deserta, et reliqua his similia. De qua et in Jeremia scriptum est ex persona Dei: Vacua facta est quae pariebat septem, defecit et anima ejus. Occidit ei sol adhuc meridie (Jerem. XV, 9). Et in Samuelis volumine: Sterilis peperit septem, et quae habebat filios plures, infirmata est (I Reg. II, 5). Et in Psalmis: Qui habitare facit

sterilem in domo, matrem filiorum laetantem (Psal. CXII, 9). Septem autem filios dicitur genuisse synagoga, propter mysterium hebdomadis et sabbati, cui prior populus fuerat obligatus. Sive pro septem, plures intelligendi sunt, juxta Hebraei sermonis ambiguitatem, quo et sabbatum significatur et plures. De quo in Hebraicarum Quaestionum libro, quem in Genesim scripsimus, plenius dictum est. Haec ergo quae quamdiu virum habebat Deum, sermonem divinum, et Legi juncta erat, generabat Deo plurimos filios: quando autem accepit libellum repudii, et vocanti viro noluit respondere, et audivit: Filia matris tuae tu es, quae dereliquisti virum tuum (Ezech. XVI, 15). Et iterum: Non ut Dominum me vocasti: neque ut patrem et principem virginitatis tuae (Jerem. III, 4): propterea in hoc eodem Propheta plangitur: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, Sion plena judicii: in qua justitia dormivit in ea, nunc autem latrones (Isai. I, 21). Sed et hoc notandum quod quando dicit: Plures filii desertae, magis quam ejus, quae habet virum, non penitus synagoga excludatur a partu; sed multitudo ei gentium praeferatur. Et ipsa enim in Apostolis, et per Apostolos primum populum genuit de Judaeis. Unde duo Apostolorum principes agmina sibi credentium in Christo, Circumcisionis et Gentium diviserunt, ut ex utroque populo desertam prius atque pauperculam aedificarent Jerusalem. Quod autem Hebraicum pro laetitia, hinnitum posuit, gaudii significat magnitudinem, in similitudinem hinnientis equi ad victoriam. De quo in Job plenius scribitur (Job. XXXIX). Hunc locum et caetera, quae sequuntur, Judaei et nostri judaizantes ad Jerusalem referunt, quam dicunt in mille annorum regno instaurandam, et eamdem esse quae prius habuit virum, et postea habere desierit, multoque plures habitura sit filios post repudium, quam prius habuit suo viro. Cum perspicue duarum mulierum ponatur comparatio, ejus quae virum habuit et dimissa est, et ejus quae semper deserta et absque viro fuit. Nec mirandum de Judaeis, quorum oculi auresque sunt clausae, si

apertam non videant veritatem. De Christianis quid loquar, nescio, qui dicente Apostolo, quae sunt allegorica et ad duo Testamenta, vetus et novum, Saram Agarque referente, Judaeis tradunt manus, terrenarum in mille annis desiderio voluptatum.

## (Vers. 2, 3.)

Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende: ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit, et civitates desertas inhabitabit.

LXX: Dilata locum tabernaculi tui, et pelles aulaeorum tuorum fige, ne parcas. Protende funiculos, et clavos tuos conforta adhuc in dextris, et in sinistris dilata, et semen tuum possidebit gentes, et civitates desertas habitare facies. Cui dixerat: Lauda, sterilis, quae non paris; rumpe vincula, quibus prius tenebaris astricta, et clama in confessionem Domini, quae liberos non habebas, nunc eidem praecipitur in similitudinem tabernaculi Moysi, quod quondam habuit (Exod. XXXVI) in deserto, ut dilatet tentorium suum, pellesque distentet; et funiculos faciat longiores, et clavos, quibus formatur omne tentorium, in altum defigat, et roboret, ne ventorum flatibus dissipetur. Ad dextramque penetret et sinistram, et nequaquam Judaici tabernaculi imitetur angustias, quod centum longitudinis cubitorum, et quinquaginta latitudinis ambiebat, nec Templi brevitate claudatur, quod sexaginta cubita habebat in longum, et viginti in latum. Sed ad dexteram et ad sinistram locum capere ne cesset (Exod. XXVII). Ac ne putemus hoc juxta frivolam Hebraeorum contentionem dici de Sion, quae in antiquum statum a Domino restituenda sit, ponit manifestius quod latebat: Et semen tuum gentes haereditabit. De quo et in Evangelio legimus: Egressus est qui seminat seminare (Matth. XIII, 3); et iterum: Nonne bonum semen seminasti

in agro tuo (Ibid., 27)? Quod semen etiam civitates desertas faciet inhabitari, ut Ecclesiae gentium in toto orbe consurgant. Vel certe semen dicendum est Apostolorum, et Judaici populi reliquiae. De quo in hoc eodem Propheta dicitur: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus, et similes Gomorrhae fuissemus (Isa. I, 9). Et Apostolus: Reliquiae ait, salvae factae sunt (Rom. II, 5). Hoc de Ecclesiarum magnitudine, quae pro uno Judaeae loco et ipso angustissimo, in toto orbe terrarum suos terminos dilatabunt. Veniamus ad intelligentiam spiritualem. Qui in tabernaculo est, firmam atque perpetuam non possidet mansionem; sed semper mutat loca, et ad ulteriora festinat, dicens in psalmo: Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis (Ps. XLI, 5), praeteritorum obliviscens, et in futurum se extendens, donec perveniat ad bravium supernae vocationis. De hoc tabernaculo et in alio loco legimus: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (Ps. LXXXIII, 1). Postque infert: Beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te (Ibid., 6). Finis enim tabernaculorum, aeternae domus possessio est, quae fundamenta non mutat, nec transfertur de alio in alium locum. Qui enim plantati in domo sunt Domini, prius in atriis illius effloruerunt, ut de floribus ad frugem veniant, possintque dicere: Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei (Psal. LI, 10). Denique vir sanctus tabernacula praeterire festinans, et domum Dei videre desiderans, unum votum habere se dicit, ut numquam de domo Dei exeat: Unum petivi a Domino, hoc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae (Ps. XXVI, 1). Dilatandum est ergo tabernaculum, et aulaea pellesque tendendae, et funiculi multiplicium variorumque sermonum longius producendi, et clavi ratione firmandi in dextris et sinistris, ut semen sermonis, id est, doctrinae Dei, gentes valeat possidere; et civitates habitabiles facere, quas accepit qui mnam duplicaverat. Dextera autem et sinistra in Scripturis sanctis tunc in

bonam partem accipitur, quando eas et juxta spiritum intelligimus, et juxta litteram per arma justitiae a dextris et a sinistris (II Cor. VI), ut et humilior intelligentia vitae teneat institutionem exemplaque majorum, et spiritualis atque sublimis de praesentibus nos transferat ad futura. Hoc est quod et Dominus Pharisaeis interrogantibus loquebatur: Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo (Matth. XXII, 21): ut et potestatibus istius saeculi subjiciamur, quae non injuste tenent gladium in vindictam eorum qui male egerunt, quae sinistra intelligitur: et Deo reddamus quae Dei sunt, ut nullum alium timeamus, nisi eum, qui et animae habet et corporis potestatem, quod in dextera accipitur (Matth. X). Denique de sapientia Dei dicitur, cui nihil pretiosum comparari potest, quod in dextera sua vitae habeat longitudinem, et annos plurimos; in sinistra autem divitias et gloriam, ut divitiae illae accipiantur, quae in praesenti scientia sunt et bonis operibus, et gloria quam accipit is, per cujus opera Deus glorificatur in gentibus, longitudo autem vitae et anni plurimi, aeternam vitam significent, quae praesentia negligens, ad futura festinat.

## (Vers. 4, 5.)

Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiae tuae oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus: et redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terrae vocabitur.

LXX: Noli timere, quia confusa es: neque confundaris, quia exprobratum tibi est: confusionem enim aeternam oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuae, memor non eris: quia Dominus qui fecit te, Dominus sabaoth nomen ei: et qui eruit te, Deus Israel, omnis terrae vocabitur. Oritur quaestio, quomodo si ad Ecclesiam dicitur de gentibus congregatam: Laetare, sterilis, quae non paris; et: Plures

filii desertae, magis quam ejus quae habet virum, quod scilicet virum non habuerit, quae postea plures fecit filios, et illa in sterilitatem versa sit, quae prius habebat virum: quomodo nunc dicatur ad eam, quae virum non habuit: Viduitatis tuae non recordaberis amplius, et confusionis adolescentiae tuae oblivisceris. Ex quo intelligi volunt Judaei, omnia quae dicuntur, dici ad Jerusalem, quae deserta a Deo, rursum ab eo instauranda sit. Qui facile repellentur, cum admoniti fuerint, dici ex persona Domini in Zacharia: Et assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum: et pavi gregem (Zach. XI, 7). De quo in suo loco plenius diximus, et nunc ex parte dicetur. Duas virgas, utrumque esse populum, gentium et Judaeorum, quorum prior vocata sit turba gentilium, quae accepit naturalem legem fixam in cordibus suis, de qua Paulus scribens ad Romanos, fortissime disputat (Rom. I); qua virga nihil pulchrius est, ut omnis creatura aequaliter vocetur ad cultum Creatoris sui. Secunda autem, id est, populi Judaeorum appellata est funiculus: quae post offensam gentium vocatur pars Domini, et funiculus haereditatis ejus Israel (Deut. XXXII). Denique postquam in Abraham vocatus est Israel, dicit Dominus: Tuli virgam meam, quae vocabatur decus: et abscidi eam, ut irritum facerem foedus meum quod percussi cum omnibus gentibus (Zach. XI, 10). Ergo in adventu Christi dicitur ad virgam, quae abscissa fuerat: Noli timere, nec erubescas, neque ora pudore suffundas. Nequaquam enim ultra confunderis, ut prius confusa fueras, nec confusionis adolescentiae tuae memor eris, et viduitatis tuae non recordaberis, per quam relicta es a Deo: quia factor tuus ipse dominabitur tui, cujus nomen Omnipotens est, qui regnat, non in una gente Judaea, sed in universo orbe terrarum. Denique sequitur: Qui te fecerat, ipse te redemit sanguine suo: et Deus omnis terrae vocabitur: pro eo quod est, omnium qui morantur in terra. Ex quo perspicue patet, nequaquam dici ad Jerusalem, quae numquam in toto orbe dominata est: sed

ad Ecclesiam Christi, cujus haereditas, mundi possessio est.

## (Vers. 6, 7.)

Quia ut mulierem derelictam et moerentem spiritu vocavit te Dominus: et uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te: et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te: et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.

LXX: Non ut mulierem derelictam et pusillanimem vocavit te Dominus, neque ut mulierem, quae ab adolescentia odiosa est, dixit Deus tuus. Tempore modico reliqui te: et cum misericordia magna miserebor tui. In furore parvo averti faciem meam a te: et in misericordia sempiterna miserebor tui: dixit qui eruit te Dominus. Hic amici Judaeorum vilificant mulierem derelictam et uxorem ab adolescentia abjectam, quam ad punctum et ad modicum dereliquit Dominus, Jerusalem esse, dicentes. Qui abscondens parumper faciem suam susceperit eam in misericordiis sempiternis, et dolorem praeteritum, gaudio commutarit. Hoc juxta Hebraicum. Porro juxta Septuaginta non eam dicit quasi derelictam mulierem, et pusillanimem vocatam a Domino: neque sicut uxorem, quae ab adolescentia odio habita sit; sed idcirco se eam ad modicum reliquisse, et avertisse faciem suam, ut misereatur illius in aeternum. Si ergo Judaei et nostri judaizantes, dicunt Israel ad modicum derelictum, ut in adventu Christi ejus misereatur Deus; et modicum interpretantur ad comparationem totius aeternitatis: cur et nobis non concedunt, modicum dicere tempus, quo gentes sunt derelictae: ut abjectae in medio, quae in adolescentia sua Dei fuerant, postea in senectute aeternam misericordiam consequantur? Praesertim cum in vocatione temporis Israel, numquam exclusa sit turba

gentilium; sed semper eis per proselytos janua patuerit revertendi, ut sicut nos illorum vocatione parumper videmur exclusi, sic illorum exclusione perpetua nobis ad Deum reditus concedatur. Perpetuam autem exclusionem diximus, si non egerint poenitentiam. Alioquin Paulus apostolus dicit: Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur (Galat. III, 22). Quae nos de Ecclesia ex utroque populo congregata interpretati sumus; et Judaei de Jerusalem accipiunt: qui solam tropologiam sequuntur, et in locis difficillimis liberae disputationis excursu, nascentes fugiunt quaestiones, ad animam referunt peccatricem, quae abjecta a Deo sit, non ob odium, sed ob dispensationem, ut malorum pressa pondere, revertatur ad virum suum pristinum: et perdita substantia, de patris clementia non desperet (Luc. XV). Annon est grandis misericordia occurrere filio revertenti, annulum et stolam, osculumque porrigere, et invidenti fratri, juxta alterius parabolae similitudinem, dicere: Amice, si ego bonus, quare oculus tuus nequam (Matth. XX, 15)?

## (Vers. 9, 10.)

Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi, ne inducerem aquas Noe ultra super terram: sic juravi, ut non irascar tibi, et non increpem te. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.

LXX: Ab aqua quae fuit sub Noe hoc mihi est: sicut juravi ei in tempore illo, terrae nequaquam ultra irasci super te, neque in comminatione tua montes transferre: neque colles tui transferentur. Sic nec misericordia mea deficiet, nec testamentum pacis meae auferetur, dixit propitius tui Dominus. Ut credat sanctorum congregatio misericordiam Domini sempiternam, et ideo ad punctum, et breve nos esse desertos, ut in amicitiam Dei, aeterno

foedere jungerentur, ponit exempla majorum, dicens: Quomodo universo orbe peccante, postquam corrupit omnis terra viam Domini, inductum est diluvium: et cum auctoribus cunctis peccatorum cuncta peccata deleta sunt, et in uno homine Noe humanum servatum est genus: cui juravi nequaquam terris inducendum esse diluvium: et sponsio mea hucusque servata est, nec umquam irrita fiet (Gen. VIII et IX); sic juro Ecclesiae meae, quam mihi redemi sanguine meo, nequaquam me iratum fore his quorum misertus sum, nec meam clementiam ulla increpationis duritia commutandam. Facilius enim montes movebuntur et colles, quam mea sententia commutabitur. Juxta quod et in Evangelio loquitur: Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt (Matth. XXII, 15). Haec est, autem, inquit, misericordia mea, ut foedus pacis, quo mihi reconciliatus est mundus, non merito eorum quibus datum est, sed mea clementia conservetur. Juxta Septuaginta confusus est sensus, et sic turbata sunt omnia, ut quid dicatur difficile possit intelligi: non quo ignorem quid in hoc capitulo vir prudentissimus dixerit, sed quo non satisfaciat animo meo. Ponit enim tropologicum diluvium, quod interpretatur in baptismo Salvatoris, congerens exempla quamplurima, ut est illud: Dominus diluvium inhabitare facit (Ps. XXVIII, 10). Et iterum: Suavis Dominus exspectantibus se in die tribulationis: et sciens timentes se, in diluvio itineris consummationem facit (Nahum I, 7, secundum LXX): quod scilicet universa peccata in baptismo deleverit, dicens in alio loco: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas (Isai. XLIII, 25). Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti erant (Psal. XIII, 3). Non erat qui faceret misericordiam, nec veritatem: neque erat scientia Dei super terram. Maledictio, et mendacium, et homicidium, et adulterium, et furtum cuncta occupaverant, et sanguinem sanguini miscuerant. Unde loquitur per Prophetam: Heu mihi! quia periit revertens a terra. Non est qui faciat rectum in hominibus, omnes in sanguine meo judicantur. Unusquisque proximum suum

tribulat tribulatione, et ad malum manus suas praeparant (Mich. VII, 2, sec. LXX): et caetera his similia. E quibus illud est: Nemo mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus super terram (Job XV, 14). Unde Dominum fecisse diluvium, qui juxta apostolum Petrum occisus est carne, vivificatus spiritu (I Petr. III); et praedicavit spiritibus in carcere constitutis, quando Dei patientia exspectabatur in diebus Noe, diluvium impiis inferens. In cujus exemplum aqua nos mundat: non sordes carnis abluens, sed bonae conscientiae interrogatio in Deum. Montes autem et colles qui non commoveantur, et in hujuscemodi diluvio permoti fuerant, sanctos vult intelligi, accepto foedere sempiterno: qui in priore diluvio moti fuerant, et suam reliquerant firmitatem. Dicit montes, et daemones, et adversarias potestates, qui viderunt filias hominum, quod essent bonae, et amoris jaculo vulnerati, sumpserunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt, et perdiderunt fortitudinem pristinam: et nequaquam in hoc diluvio sunt futuri (Genes. VI). Hoc ille dixerit, cujus explanationem lectoris arbitrio derelinquo.

## (Vers. 11, 12.)

Paupercula tempestate convulsa absque consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos: et fundabo te in sapphiris: et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: Universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis, et in justitia fundaberis.

LXX: Humilis et instabilis absque consolatione. Ecce ego praeparo tibi carbunculum lapidem tuum, et fundamenta tua sapphirum: et ponam propugnacula tua jaspin, et portas tuas lapides crystalli, et muros tuos lapides electos: et omnes filios tuos discipulos Dei, et multa pax erit filiis tuis, et in justitia aedificaberis. Ubi nos diximus: Sternam per ordinem lapides tuos, in

Hebraico scriptum est, BAPHPHUCH, quod omnes praeter Septuaginta similiter transtulerunt: Sternam in stibio lapides tuos, in similitudinem comptae mulieris, quae oculos pingit stibio, ut pulchritudinem significet civitatis. Et ubi nos jaspidem, sequentes LXX, diximus, in Hebraico scriptum habet CHODCHOD, quod solus Symmachus --- transtulit. Pro crystallo quoque in cujus loco apud Hebraeos ECDA legitur, Symmachus et Theodotio, scalpturae, id est, --- Aquila --- posuit: quod verbum foratarum caelatarumque gemmarum sensum sonat. De diversitate translationis diximus: veniamus ad sensum. Adhuc loquitur ad Ecclesiam, humilem prius atque pauperculam, quae non habebat Legem, nec Prophetas, nec sermonem Dei: et tempestate convulsam sive instabilem, quae multos saeculi turbines sustinuerat, et inter varios idolorum fluctuabat errores: quae nullum habuit consolatorem, et frustra omnem substantiam suam in medicis perdidit; quod ipse veniat, ipse descendat, et aedificet in terris coelestem Jerusalem, quae in Apocalypsi Joannis vocatur sponsa et uxor Agni, habens lumen simile lapidis pretiosi, sicut jaspidis et crystalli, et murum magnum, et portas duodecim inscriptas nominibus tribuum Israel, quarum tres erant ab Oriente, et tres ab Aquilone, et tres ab Austro, et tres ab Occasu solis (Apoc. XXI): murusque fultus duodecim fundamentis, cujus omnis aedificatio ex lapide jaspide, et singula fundamenta murorum habebant singulos lapides, primum jaspidem, secundum sapphirum, tertium chalcedonium, quartum smaragdum, quintum sardonicem, sextum sardium, septimum chrysolithum, octavum beryllum, nonum topazium, decimum chrysoprasum, undecimum hiacynthum, duodecimum amethystum; quod legentes, exclamamus illud, et dicimus: O profundum sapientiae et scientiae Dei, quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit (Rom. XI, 33, 34)? Et iterum: Quis sapiens, et intelliget haec: intelligens, et cognoscet ea (Osee XIV, 10)? Respondeant amatores

tantum occidentis litterae, et in mille annis exquisitos cibos gulae ac luxuriae praeparantes, quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum (Philipp. III); qui post secundum in gloria Salvatoris adventum, sperant nuptias, et parvulos centum annorum, et circumcisionis injuriam, et victimarum sanguinem, et perpetuum sabbatum: qui dicunt cum Israel in perversum modum: Manducemus et bibamus, cras enim regnabimus: quae sit ista coelestis Jerusalem, cui nunc dicitur: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos: sive juxta LXX: Ecce ego praeparo tibi carbunculum, lapidem tuum: ut tota civitas sit plena carbunculis, et habeat fundamenta sapphirina, et propugnacula jaspidem, sive chalcedonium, et portas crystallinas, sive anaglyphas, et murum in circuitu pretiosorum lapidum: omnesque filii ejus non habeant magistros homines, sed Deum, et appellentur discipuli Dei; et sit in ea pax perpetua, et aedificatio justitiae. Ex quo perspicuum est, sub occasione justitiae, quod virtutis est nomen, etiam caeteras virtutes in aedificationem Ecclesiae debere nos quaerere: nec Judaica deliramenta sectari. Exponant enim quid sit illud quod in Proverbiis de sapientia dicitur: Pretiosior est cunctis lapidibus pretiosissimis (Prov. III, 25). Si enim Christus Dei virtus et Dei sapientia est (I Cor. I), stultum est Christum insensibilibus lapidibus comparari. Rursumque de judiciis Dei legimus: Judicia Domini recta: justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum (Psal. XVIII, 10. 11). Ex quo palam est, illud lapidem caeteris lapidibus comparari, de quo supra in hoc eodem Propheta ex persona Dei dicitur: Ecce immittam in fundamenta Sion lapidem angularem, lapidem electum, pretiosum: et qui crediderit in eo, non confundetur (Isai. XXVIII, 16). Hunc lapidem reprobaverunt aedificantes (Psal. CXVII), Scribae videlicet, et Pharisaei, et principes Judaeorum, qui factus est in caput anguli (Matth. XXI). De quo et Apostolus Petrus disputans ait: Nobis ergo honor qui credimus angulari et pretioso electoque lapidi. Incredulis autem

est lapis offensionis et petra scandali (I Petr. II, 7, 8). Qui et in Actibus Apostolorum ad principes loquitur sacerdotum: Iste est lapis electus, pretiosus, quem vos despexistis reprobantes (Act. IV, 18); qui factus est in caput anguli, et duos populos continet, gentium et Israel; qui aedificavit civitatem, cujus artifex et conditor Deus est: de qua et Apostolus scribit Corinthiis: Dei aedificatio estis. Et: Quasi architectus sapiens fundamentum posui, alius superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo aedificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter eum qui positus est, Jesum Christum (I Cor. III, 9, 10). Si quis autem super fundamentum hoc aedificat aurum, et lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit. De hoc fundamento et in Epistola altera loquitur: Aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso angulari lapide Jesu Christo (Ephes. II, 20); et iterum: In quibus omnes aedificamini [Col.0523C] lapides viventes in sacerdotium sanctum, offerre spirituales victimas (I Petr. II, 5). De his lapidibus mystice dicitur: Lapides sancti volvuntur super terram (Zac. IX, 16), 637 quibus aedificat Christus Ecclesiam super petram, dicens in Evangelio: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (Matth. XVI, 18). Quam civitatem qui meruerit intrare, gaudens loquitur Domino: Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum (Ps. XLVII, 9). Super conditore hujus civitatis, et in alio loco dicitur: Hic aedificabit civitatem meam, et reducet captivitatem populi mei (Isai. XLV, 13). De natura autem duodecim lapidum atque gemmarum, non est hujus temporis dicere, cum et Graecorum plurimi scripserint et Latinorum. E quibus duos tantum nominabo, virum sanctae et venerabilis memoriae episcopum Epiphanium, qui insigne nobis ingenii et eruditionis suae reliquit volumen, quod inscripsit ---: et Plinium secundum, eumdem apud Latinos oratorem et philosophum, qui in opere pulcherrimo naturalis historiae tricesimum septimum librum, qui et extremus est, lapidum atque gemmarum

disputatione complevit. Hi duodecim lapides scribuntur per ordinem in Exodo et in Ezechiel, id est in logio pontificis, et in corona atque diademate principis Tyri. Dicamus primum de Exodo: Quatuor ordines intexti erant lapidum (Exod. XXVIII). Ordo primus habuit lapidem sardium, topazium, smaragdum. Ordo secundus, carbunculum, sapphirum, jaspidem. Ordo tertius, ligirium, achatem, amethystum. Ordo quartus, chrysolithum, beryllum, onychium, auro circumdatos; et inscripti erant ex nominibus duodecim tribuum filiorum Israel. In quo notandum quod secundus ordo lapidum etiam in praesenti Scriptura sit positus, carbunculus, sapphirus, et jaspis. Necdum enim perfecta retinemus, nec ad prima pervenimus, quia nunc per speculum videmus in aenigmate. Porro in Ezechiel sic scriptum reperimus: Tu es signaculum similitudinis et corona decoris, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omni lapide primo indutus es, sardio, topazio, et smaragdo, carbunculo et sapphiro et jaspide, argento quoque, et auro et lyncurio, et achate, et amethysto, et chrysolitho, et beryllo, et onychino; auroque replesti thesauros tuos et apothecas tuas in te. A qua die conditus es, cum Cherubim posui te in monte sancto meo; fuist in medio lapidum ignitorum, immaculatus in diebus tuis, ex quo conditus es, donec inventae sunt in te iniquitates tuae (Ezech., XXVIII, 12 et seqq.). Quis enim tam stultus et vecordis ingenii, ut in paradiso Dei, positum principem Tyri, quemcumque illum esse crediderit, et conditum inter Cherubim et inter igneos lapides conversatum (quos haud dubie Angelos intelligimus coelestesque Virtutes) putet fuisse eum, qui terrenis lapidibus ornatus sit, et habuerit similitudinem et signaculum? De natura igitur omnium lapidum, et per partes singulorum, non est hujus temporis dicere; neque enim semper dicenda sunt omnia. Nunc tantum de carbunculo, sapphiro et jaspide disseramus. Carbunculus qui paratur, sive per ordinem sternitur, videtur mihi ignitus sermo doctrinae, qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium. Hic est quem unus de

Seraphim tulit forcipe comprehensum, ad Isaiae labia purganda (Isa. VI): qui nascitur, juxta Geneseos fidem, in terra Evila, ubi est aurum optimum (Genes. II), lapisque carbunculus, et prasinus. Porro sapphirus, qui ponitur in fundamentis, coeli habet similitudinem, et supra nos aeris: qui talis est, ut possit illud Aristophanicum dicere cum Socrate: --- quod nos in Latinum sermonem vertere possumus: Scando aerem, solemque despicio (Vide Suidam in---). Sive cum Paulo apostolo: Nostra autem conversatio in coelis est (Philipp. III, 20). Ezechielis quoque Scriptura commemorat, quod locus in quo thronus Dei sit, sapphiri habeat similitudinem, et gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercoelestis. Sed et propugnacula urbis Dominicae, hoc est murorum moenia jaspide roborantur, qui possunt omnem altitudinem elevantem se contra scientiam Dei destruere atque convincere, et mendacium subjicere veritati (Ezech. I; I Cor. XV). Qui ergo in disputando fortissimus est, et sanctarum Scripturarum testimoniis roboratus, iste propugnaculum Ecclesiae est. Jaspidum multa sunt genera: alius est enim smaragdi habens similitudinem, qui reperitur in fontibus Thermodontis fluminis, et vocatur Grammatias, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, et tinctus quasi floribus; hunc in Phrygiae monte Ida, et in profundissimis specubus ejus nasci referunt. Alium vero juxta Iberos, Hyrcanosque et mare Caspium reperiri, et praecipue juxta lacum Neusin. Est et alius jaspis nivi et spumae marinorum fluctuum similis, et elementer quasi mixto cruore subrutilans. Hoc diximus, ut universas gratias spirituales in Ecclesiae propugnaculis cognoscamus; quas qui habuerit, vanos timores fugat, et potest cum sponsa dicere: Fratruelis meus candidus et rubicundus (Cant. V, 10). Portae autem istius civitatis de lapide sunt crystallo, qui scalpitur variis modis, quo lapide nihil purius est. Denique vehementissimis Alpium frigoribus, et inaccessis soli speluncis, concrescere aquae dicuntur in crystallum: et tactu quidem lapidem, visu aquam esse. Per quem

ostenditur, eos qui in foribus Ecclesiae sunt, nulla debere sorde maculari, sed fidei esse purissimae, et dicere cum propheta: A mandatis tuis intellexi (Ps. CXVIII, 104). Et illud audire: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. V, 8). Muri autem civitatis, sive termini et --- lapidibus electis exstruuntur, quos reliquos lapides intelligere possumus, et omnes filios ejus esse doctos, sive discipulos Dei: quo testimonio Dominus utitur in Evangelio Joannis, dicens: Nemo potest ad me venire, nisi Pater meus qui misit me, traxerit eum, et omnis qui audierit et didicerit a Patre, venit ad me (Joan. VI, 44, 45). Et post paululum, scriptum est in prophetis: Erunt omnes docti a Deo. Qui et per Jeremiam loquitur: Dans leges meas in mentibus eorum, et super cor illorum scribam eas; et nequaquam ultra docebunt singuli proximos suos et fratres dicentes: Cognosce Dominum. Sed omnes scient me a minimo usque ad maximum. Propitius enim ero iniquitatum eorum, et peccatorum eorum non recordabor (Jerem. XXXI, 33, 34). Doctrina autem discipulorum Dei habet multitudinem pacis, quae eis a Domino derelicta est: aedificatioque urbis pulcherrimae completur justitia; ut nequaquam unius gentis, sed totius mundi Deus sit, vocantis ad fidem suam servos et liberos, Graecos et Barbaros, divites et pauperes, nobiles et ignobiles, viros et mulieres, parvulos et senes, et omnia quae in mundo videntur esse contraria (Joan. XIV). Excessimus brevitatis modum, qui utilis est in omnibus quae dicenda sunt: nequaquam nos juxta Hebraeos et nostros Semijudaeos in terra, sed in coelis, urbem Dei quaerentes, quae in Christo monto sita latere non potest.

## (Vers. 14.)

Recede procul a calumnia, quia non timebis; et a pavore, quia non appropinquabit tibi.

LXX: Recede ab iniquo, et non timebis, et tremor non appropinquabit tibi. Ordo pulcherrimus. Pauperculam et

humilem fuerat consolatus, promittens ei gratias spirituales. Nunc docet quid facere debeat, si nolit adversariorum impetus formidare. Et est sensus: Non vis timere inimicos tuos, fac ista quae dico: Recede procul a calumnia, sive ab iniquitate: quia omnis iniquitas et rapina de calumnia nascitur; et non timebis, tremorque et pavor non appropinquabunt tibi, ut nequaquam homines, sed Deum timeas, dicens cum Moyse: Tremens sum ego et meticulosus (Deut. IX, 19); et cum uno amicorum Job: Horror et tremor venerunt super me; et multum mea ossa concussit (Job IV, 14); et cum propheta: A voce orationis meae intravit tremor in ossa mea (Infra LXVI, 2); et: Super quem Dominus requiescit, nisi super humilem et quietum, et trementem verba ejus (Prov. X)? Porro alius est impiorum tremor, qui ex metu supplicii nascitur. De quo scriptum est: Tremor apprehendit impios (Ps. XLVII, 7).

## (Vers. 15.)

Ecce accola veniet, qui non erat mecum; advena quondam tuus adjungetur tibi.

LXX: Ecce proselyti accedent ad te per me, et coloni erunt tui, et ad te confugient. Et haec Judaei putant ad Jerusalem dici, quod multi de gentibus proselyti sint futuri, et legem Moysi caeremoniasque suscipiant. Quod nos juxta coeptam interpretationem ad Ecclesiam referimus, quae per apostolos ex utroque populo congregata est, quae non habet maculam, neque rugam, quae liber est, et mater omnium credentium (Ephes. V; Galat. IV). Ad quos proselytos et advenas congregandos, misit Dominus discipulos suos, dicens: Docete omnes gentes (Matth. ult., 19), ut confugiant ad Evangelium, et novam Legem suscipiant, ut habitatores quondam idololatriae, fiant coloni Ecclesiae. De quibus in psalmis dicitur: Dominus sapientes facit caecos. Sive ut in Latinis codicibus legitur: Dominus illuminat caecos, Dominus diligit advenas (Ps. CXLV, 8, 9): ut postquam caeci lumen

receperint veritatis, et stulti sapientiam didicerint, tunc ad Ecclesiam transeuntes diligantur a Domino, et audiant per prophetam: Vocabo non populum meum, populum meum (Osee II, 24); quo intrante Templum Dei, zelus apprehendit populum ineruditum.

## (Vers. 16, 17.)

Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum: et ego creavi interfectorem ad disperdendum. Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur: et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Haec haereditas servorum Domini: et justitia eorum apud me, dicit Dominus.

LXX: Ecce ego creavi te, non ut aerarius sufflans in igne prunas, et proferens vas in opus. Ego autem creavi te non in perditionem interficere: omne vas quod factum est contra te, non prosperabitur: et omnis vox surget contra te in judicium: omnes eos vinces ÷ et obnoxii tui erunt in ea ** Est haereditas servientibus Domino, et vos eritis mihi justi, dicit Dominus. Dicamus primum juxta Hebraicum: Si vis non timere, et procul a te esse formidinem, fac quae praeteritus sermo narravit; ego enim sum per quem habitura es proselytos. Ego qui creavi fabrum sufflantem in igne prunas, hoc est, diabolum omnium malorum artificem, non necessitate naturae, sed mentis arbitrio. Qui suscitavit incendia, et proferet contra te vasa: quales fuerunt Simon et Elimas magi, Petro et Paulo apostolis resistentes (Act. XIII). Ego creavi interfectorem eorum qui increduli sunt futuri. Non quo ego sim causa perditionis eorum, sed quo creatus adversarius ad pugnandum, et victis perditio, et victoribus causa sit praemiorum. Omnesque qui contra te a fabro sufflante sunt fabricati, non dirigentur, sed et praesentes poenas sentient et futuras. Quodque prius videbatur occultum, in consequentibus dicitur manifestius:

Et omnem linguam resistentem tibi in judicio judicabis, perdens sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobans. Cunctosque haereticorum principes, et Judaeorum magistros, et mundi philosophos, quos faber ille conflaverat, tuo judicio condemnabis. Quomodo et Regina Saba condemnavit incredulos, et Ninivitae: et e contrario justificabitur Sodoma comparatione pejoris Jerusalem (Matth. XII). Post haec infertur quae sint praemia futurorum, ne cassum putent esse certamen, et praesenti morte finiri. Haec est haereditas servorum Domini, id est, regna coelorum, et vita perpetua, et retributio laborum, quae oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se (II Cor. II). Si autem diligentibus, ergo et servientibus, qui nullum alium habent Dominum, nisi Deum. Et haec est justitia eorum qui apud Deum sunt, dicit Dominus, ut praesens tribulatio futuro gaudio compensetur. Porro juxta Septuaginta iste mihi sensus videtur: Ego Creator tuus non te ita feci quomodo diabolus faber pessimus immundo spiritu conflat vasa iniquitatis, et profert ea in perditionem: qui scire debet quod hujuscemodi vasa prosperum iter non habeant, sed in cursu medio confringantur. Quae sint autem vasa, sequenti sermone demonstrat; Et omnis vox quae surget contra te in judicium, omnes eos vinces. Vasa iniquitatis vocem habent, quae vox surgit contra Ecclesiam, quando ponunt haeretici in excelsum os suum, et lingua eorum pertransit ad terram. Quodque sequitur: Et obnoxii tui erunt in ea, obelo praenotavimus, quod non tam a LXX quam a malis scriptoribus videtur additum. Cum autem omnem vocem surgentem adversum se Ecclesia vicerit, tunc servientibus Domino et obedientibus erit haereditas, aeterna possessio. De qua in Jeremia aliis verbis dicitur: Est merces operibus tuis (Jerem. XXXI, 36). Habitatoresque Ecclesiae justi erunt Domino. Omnis enim qui facit justitiam, de Deo natus est. Quibus loquitur Dominus: Estote sancti, quoniam ego sanctus sum (Levit. XX, 26).

## (Cap. LV.---Vers. 1.)

**Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?**

**LXX: Qui sititis, ite ad aquam, et quotquot non habetis pecuniam, euntes emite, et comedite, et ambulate, et emite absque pecunia et absque pretio vinum et adipem. Quare emitis pecunia, et laborem vestrum non in saturitatem? Verbum Hebraicum OI, de quo supra in prophetia contra Ariel dixeram (Ad cap. 29), quod esset ambiguum, et vel interjectionem vocantis, vel vae, significaret, hic in principio capituli positum, nequaquam plangentis legitur, sed vocantis affectu. Quia ergo omne vas fictum contra Ecclesiam dixerat conterendum, et omnem vocem linguamque, quae se armaverat contra scientiam Dei, esse superandam: provocat credentes ad fluvium Dei, qui repletus est aquis, et cujus impetus laetificat civitatem Dei, ut bibant aquas de fontibus Salvatoris, qui loquitur ad Samaritanam: Si scires gratiam Dei, et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere: tu petisses ab eo, et dedisset tibi aquam. Aqua quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam (Joan. IV, 10, 14). De his aquis clamabat in Templo: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae (Ibid., 37, 38), significans Spiritum sanctum, quem credentes accepturi erant, et de quo Propheta mystico sermone resonabat: Sitivit anima mea ad Deum viventem (Psal. XLI, 2); et iterum: Apud te fons est vitae (Psal. XXXV, 10). Qui ipse de se loquebatur: Me dereliquerunt fontem aquae vivae: et foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquas continere (Jerem. II, 13). Has aquas spargunt nubes, ad quas pervenit veritas Dei. Sicut scriptum est: Et nubes spargant justitiam (Isai. XLV,**

8, sec. LXX). Praecipiturque sitientibus, ut nequaquam bibant aquas Sior turbidas, et tumentes gurgites Assyriorum; sed pergant ad aquas Siloe, quae vadunt cum silentio; nec timeant eloquii paupertatem, si argentum forte non habeant (Isa. XLV; Jerem. II), sed audiant Apostolum dicentem: Gratia salvi facti estis (Ephes. II, 8); et Dominum ad discipulos: Gratis accepistis, gratis date (Matth. X, 8). Mirumque in modum emunt aquas absque pecunia; et non bibunt eas, sed comedunt. Ipse enim et aqua et panis est, qui de coelo descendit (Joan. VI). Ergo quod in quibusdam exemplaribus legitur: Emite, et bibite, ab imperitis scriptoribus immutatum est, qui putaverunt esse consequentius, si biberentur potius aquae, quam comederentur. Est autem et pecunia pessima, sive argentum, quod reprobat Scriptura, dicens: Pecunia, quae datur cum dolo, quasi testa reputabitur (Prov. XXVI, 23, sec. LXX); et in alio loco: Argentum vestrum reprobum (Jerem. VI, 30). Et est argentum quod Dei eloquiis comparatur: Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum terrae, purgatum septuplum (Ps. XI, 7). Spreto igitur illo argento et pecuniis, quibus aquas Domini emere non possumus, pergamus ad eum, qui tenens calicem Sacramenti, discipulis loquebatur: Accipite et bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum (Matth. XXVI, 27, 28). Quod vinum miscuit et sapientia in cratere suo, omnes stultos saeculi mundique sapientiam non habentes, provocans ad bibendum: et ut non solum vinum emamus, sed et lac, quod significat innocentiam parvulorum, qui mos ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur. De quo lacte dicebat et Paulus; Lac vobis potum dedi, non solidum cibum (I Cor. III, 2). Et Petrus: Quasi modo nati parvuli, rationale lac desiderate (I Pet. II, 2). Unde et Moyses vinum et lac in Christi intelligens passione, mystico sermone testatur: Gratiosi oculi ejus a vino, et candidi dentes ejus a lacte (Genes. XLIX, 12). Pro lacte in praesenti loco LXX adipem transtulerunt. De quo

sanctus David dicit in psalmo: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (Psal. LXII, 6); et in alio loco: Cibavit eos de adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos (Psal. LXXX, 17). Qui adipes non aliud quam mysticam carnem sonant. Ad quam Dominus discipulos hortabatur, dicens: Nisi comederitis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis (Joan. VI, 54). Unde et in Gethsemani traditus est, quod significat vallem adipeam, sive pinguissimam. Simulque increpat eos, qui sequuntur sapientiam saecularem et perversas haereticorum simulatasque doctrinas, et Pharisaeorum traditiones, omnemque falsi nominis scientiam, quae elevatur contra Deum, et magnis pretiis ac labore continuo appendunt argentum pro ea disciplina, in qua non sunt panes, et sudant pro his cibis, in quibus nulla saturitas est. Ex quo ostenditur eam sectandam esse sapientiam, quae non est in foliis ac flore verborum, sed in medullis ac fructibus sensuum; quae non aurem praetervolat, sed animum reficit. Quam ut discamus, non transimus maria, nec magnis sumptibus indigemus, sed prope est verbum in ore nostro, et in corde nostro.

## (Vers. 2, 3.)

Audite audientes me, et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima vestra. Et feriam vobiscum pactum sempiternum: misericordias David fideles.

LXX: Audite me, et comedite bona, et delectabitur in bonis anima vestra. Attendite auribus vestris, et sequimini vias meas: et audite me, et vivet in bonis anima vestra. Et constituam vobis testamentum aeternum, sancta David fidelia. Ne quis putaret auditum carnis esse, non mentis, ad quem cohortatur audituros sermo divinus, non carnis illis bona, sed animae pollicetur. Si enim, inquit, audieritis me, bona terrae comedetis (Isai. I, 19). Sive

bonum, qui dicit: Ego sum pastor bonus (Joan. X, 11). Et delectabitur in bonis et in crassitudine anima vestra. Ergo bona, quae animae repromissa sunt, non divitiae, et corporis sanitas, et saeculi dignitates, quae etiam philosophi appellant indifferentia, id est, nec bona, nec mala, et pro utentium qualitate variantur; sed illa credenda sunt, ad quae nos cohortatur Deus: Declina a malo, et fac bonum (Ps. XXXVI, 27). Sin autem bona animae, honestas virtutesque dicuntur; ergo et mala, non paupertas, et infirmitas corporis, et ignobilitas accipienda, sed omnia vitia, quae vere mala sunt. Denique Abraham non ideo bona habuit, quia dives fuit, sed quia divitiis bene usus est (Genes. XIII). Et Lazarus qui postea requievit in sinu ejus, non idcirco mala sustinuit, quia cum egestate passus est tormenta morborum, sed malis quae putabantur in saeculo, vera bona est consecutus. Unde et dives ille purpuratus recepit bona sua in vita sua, quae illi erant bona, qui ea arbitrabatur bona (Luc. XVI), et de Lazaro non e contrario dicitur: Recepit mala sua in vita sua; sed recepit mala in vita sua, quae mala non illi, qui patiebatur, sed aliis videbantur. Utriusque rei exemplum nobis tribuit beatus Job, qui nec in bonis nec in malis saeculi victus est, sed omnia pari mentis firmitate sustinuit (Job. II). Quamobrem Salomon precatur Deum: Divitias et paupertatem ne dederis mihi. Constitue autem mihi quae sunt victui meo necessaria et sufficientia, ne saturatus mendax efficiar, et dicam: Quis me videt? aut egens furer et perjurem nomen Domini (Prov. X, 8, 9). Si autem hoc deprecatur, ut nec divitias habeat, nec paupertatem, sed tantum victus necessaria, de quibus et Apostolus dicit: Habentes victum et vestitum, his contenti sumus (I Tim. VI): perspicuum est divitias et egestatem, sanitatem et languorem, voluptatem atque cruciatus, nec bona esse nec mala, sed pro sustinentium diversitate bona et mala fieri. Ergo non juxta --- opum abundantiam, et delicatos cibos, et crassitudinem corporis, phasidesque et fartos turtures, mulsum, merum, uxorum pulchritudinem, examina liberorum, Dominus

animae pollicetur, sed illas delicias, ad quas nos mystice provocat dicens: Delectare, sive deliciis fruere in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (Psal. XXXVI, 4); et alibi: Credo videre bona Domini in terra viventium (Ps. XXVI, 13); et in alio psalmo: Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Qui implet in bonis desiderium tuum (Ps. CII, 1 et 5). Denique infert: Audite me, et vivet anima vestra (Isai. LV, 3). Omnium bonorum promissio, vita est sempiterna. Quod si volueritis audire, et anima vestra vixerit in aeternum, feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. De quibus idem Psalmista cantabat: Misericordias Domini in aeternum cantabo. In generatione et generatione annuntiabo veritatem tuam (Ps. LXXXVIII, 1, 2). Et ut sciamus quae sint istae misericordiae, sequenti sermone demonstrat: Semel juravi in sancto meo: si David mentiar, semen ejus in sempiternum manebit, et thronus illius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis. Qui idcirco vocatur fidelis, quia promissa compleverit. Pro quibus LXX transtulerunt, sancta David fidelia (Act. XIII, 34): quod potest pro firmis accipi atque robustis. Ut est illud: Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in saeculum saeculi (Psal. CX, 8). Et in alio loco: Deus fidelis, et non est iniquitas in eo (Deut. XXXII, 4). Et apostolus Paulus: Si negaverimus, inquit, eum, ipse fidelis manet: negare seipsum non potest (II Tim. II, 13). Et in alio loco scribens ad Timotheum: Fidelis sermo, et omni acceptione dignus (I Tim. XV). Hoc autem pactum, quod Dominus pollicetur, non erit breve et unius temporis, sicut fuit populi Judaeorum, sed manebit in aeternum, ut veniat verus David, et in Evangelio compleantur quae ex Dei persona sunt repromissa: Inveni David servum meum, in misericordia sancta unxi eum (Ps. LXXXVIII, 21). Cujus manum posuit in mari, et in fluminibus dexteram illius. Quem juxta Ezechiel, per multa jam saecula dormiente David, appellat servum suum atque pastorem dicens:

Suscitabo vobis pastorem unum, servum meum David (Ezech. XXXIV, 23).

## (Vers. 4, 5.)

Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: et gentes, quae non cognoverunt te, ad te current, propter Dominum Deum tuum et Sanctum Israel, quia glorificavit te.

LXX: Ecce testimonium in gentibus dedi eum, principem et praecipientem gentibus: gentes, quae nesciebant te, invocabunt te: et populi, qui ignorabant te, ad te confugient: propter Dominum Deum tuum Sanctum Israel, qui glorificavit te. Provocaverat ad credendum populum Judaeorum, ut inclinarent aurem suam, et pactum acciperent sempiternum, quod Dominus David repromiserat, et Abraham, ac semini ejus, dicens: In semine tuo benedicentur gentes (Genes., XXII, 18). Quod apostolus Paulus edisserens, Non dixit, ait, in seminibus: sed, in semine, quod est Christus (Galat. III, 16). Et quia sciebat, illis non credentibus, credituros esse populos nationum, transit ad gentes; et dicit misisse se Filium suum testem vel testimonium cunctarum gentium, qui praecepta illius atque mandata populis nuntiaret, qui de seipso loquitur: Oportet praedicari Evangelium istud in omni orbe, in testimonium cunctis gentibus (Matth. XXIV, 14). Denique superbientem Pilatum hoc sermone confutat: In hoc natus sum, ut testimonium praebeam veritati (Joan. XVIII, 37). De quo apostolus Paulus scribit Timotheo: Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit se redemptionem pro omnibus, testimonium temporibus propriis: in quo ego positus sum praeco et Apostolus (I Tim. II, 5). Omnia ergo quae dicuntur, ad eum referenda sunt, qui quasi ovis ad victimam ductus est, et quasi agnus coram tondente non aperuit os suum. De quo supra dicitur: Vidimus eum, et non habebat speciem neque

decorem (Isai. LIII, 2); et: Ipse peccata nostra portavit, et pro nobis dolet. Ad hunc confugerunt, sive cucurrerunt, qui eum antea nesciebant, dicentes: Deus noster refugium et virtus (Psalm. XLV, 1); et iterum: Domine, refugium factus es nobis in generatione et generatione (Ps. LXXXIX, 1). De quorum fide et supra legimus: Quibus non est praedicatum de eo, videbunt: et qui non audierant, intelligent. Iste testis est omnium, quae Pater mundo spopondit et praestitit, cujus mysterium brevi Paulus ad Ephesios sermone comprehendens: Deus, inquit, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriae (Eph. I, 3): De quo et nunc scriptum est: Propter Dominum Deum tuum, et Sanctum Israel, qui glorificavit te, et ea gloria, quam habuit priusquam mundus fieret. De qua et Propheta testatur: Apparebit gloria Dei (Hebr. I), qui est splendor gloriae, et forma substantiae ejus, quando omnis lingua confitebitur, quod Dominus Jesus in gloria Patris sit (Philip. II). Qui respondit Filio gloriam, quam prius habuerat, postulanti: Et glorificavi, et glorificabo. De quo et Joannes apostolus: Vidimus, ait, gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis (Joan. XII, 28; I, 14). Ergo quando de eo loquitur: Qui in principio apud Deum erat Deus Verbum, appellatur Pater gloriae: quando autem de eo qui dicit in Evangelio: Quid me persequimini hominem, qui veritatem vobis loquor (Joan. VIII, 4)? vocatur Deus Domini nostri Jesu Christi. Non quod alter et alter sit (qui multorum error est pessimus), sed quo unus atque idem Filius Dei, nunc divinitatis suae gloriae, nunc nostrae naturae, quam suscipere dignatus est, loquatur affectibus.

## (Vers. 6, 7.)

Quaerite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Derelinqunt impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum.

LXX: Quaerite Dominum: et cum inveneritis eum, invocate. Et postquam vobis appropinquaverit, relinquat impius vias suas et vir iniquus cogitationes suas et convertatur ad Dominum: et misericordiam consequetur: quia multum dimittet peccata vestra. Quia igitur, ut ante jam diximus, noluistis pactum recipere sempiternum, et misericordias David fideles, quas, vobis nolentibus suscipere, suscepit turba gentilium, moneo vos populares meos ego Propheta, atque contestor, dum tempus est, agite poenitentiam. Convertimini ad eum, qui vobis nunc loquitur per Prophetas, qui postea locuturus est praesens. Quaerite eum dum inveniri potest, dum estis in corpore, dum datur locus poenitentiae, et quaerite non loco, sed fide. Quomodo autem quaeratur Deus, in alio loco plenius dicitur: Sapite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite eum: quia invenitur ab his qui non tentant eum: et apparet his, qui non sunt ei increduli (Isai. I, 1, 2). Unde et nos scientes illud dictum de peccatoribus: Qui longe recedunt a te, peribunt, loquamur ad Dominum: Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in coelum, tu ibi es: si descendero in infernum, ades (Ps. CXXXVIII, 7, 8). Et invocemus eum, dum prope est, ne nostris vitiis atque peccatis procul recedat. Appropinquat enim appropinquantibus sibi, et filio longo post tempore revertenti, laetus occurrit. Quamobrem sanctus in psalmo canit: Mihi autem adhaerere Deo, bonum est (Ps. LXXII, 28). Et Moyses solus appropinquabat ad Dominum (Exod. XX). Et per Jeremiam loquitur Deus: Ego Deus appropinquans, et non de longe (Jer. XXIII, 33). Appropinquans eis, qui mihi appropinquant fide, et longe recedens ab his, qui a me procul infidelitate discedunt. Propter quae dicitur ad credentes: Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Ac ne hoc putaremus posse sufficere, statim subjungit: Resistite diabolo, et fugiet a vobis (Jacob. IV, 8). De quo supra dixerat: Adversarius vester diabolus sicut leo circumiens, quaerit quem devoret. Adversum quem resistite confortati fide (I Pet. V, 8, 9). Nec satis est

quaerere Dominum, et dum poenitentiae tempus est, invenire, atque invocare eum dum prope est, nisi reliquerit impius vias suas pristinas, et cogitationes antiquas quibus a Domino declinaverat. Tunc enim revertemur ad Dominum, qui miserebitur nostri; et ad clementissimum patrem, qui multus est in misericordiis, et facilis ad ignoscendum, cum cogitationes et vias pristinas reliquerimus, ut postea mereamur audire: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. XXXI, 1).

## (Vers. 8, 9.)

Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae: neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus. Sicut enim exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.

LXX: Neque enim sunt cogitationes meae, sicut cogitationes vestrae: nec sicut viae meae, viae vestrae, dicit Dominus. Sed quantum distat coelum a terra, tantum distat via mea a viis vestris, et cogitationes vestrae a cogitatione mea. Ne putetis, inquit, difficile esse quod spondeo, et vobis incredibile videatur, impium et iniquum posse salvari, vel populum Judaeorum, vel omnes qui in gentibus nesciebant Deum: hoc considerate, quod multa inter mea vestraque consilia sit differentia, et quanta naturae, tanta voluntatis diversitas (Prov. XIX). Multae enim cogitationes in corde viri, consilium autem Domini in sempiternum manet. Vos, ut homines, saepe promissi poenitentes, veterem voluntatem novella voluntate subvertistis. Dominus enim dissipat consilia gentium, et reprobat cogitationes populorum, et irritas facit voluntates principum (Psal. XXXII). Cogitationes autem cordis ejus a generatione in generationem; et quidquid decreverit, non potest immutari. Vultis scire diversitatem mei vestrique consilii? Quantum coelum loci distat a terra, et aliud Angelorum, aliud hominum habitaculum

est, tantum meae cogitationes a vestris consiliis separantur. De meis enim cogitationibus dicitur: Inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viae illius (Rom. XI, 33). Porro de vestris: Cogitaverunt consilium, quod non potuerunt stabilire (Psal. XX, 12). Et in alio loco: Quodcumque inieritis consilium, dissipabitur, et quidquid locuti fueritis, non permanebit in vobis (Isa. VIII, 10). Perspicua interpretatione non indigent, idcirco stringuntur potius, quam disseruntur.

## (Vers. 10, 11.)

Et quomodo descendit imber et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur; sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud.

LXX: Quomodo si descendat pluvia, aut nix de coelo, et non revertatur, donec inebriet terram, et generet et oriatur, et det semen seminanti, et panem ad comedendum: sic erit verbum meum, quod exierit de ore meo: non revertetur donec compleat quae volui, et prosperas faciam vias ejus et praecepta mea. Pendent ex superioribus quae dicuntur, et breviter hic sensus est: non sit incredulus populus nationum, quod post tanta scelera impius repente salvetur. Non enim sunt cogitationes meae ut cogitationes hominum, et quantum coelum distat a terra, tantum meae cogitationes a cogitationibus hominum separatae sunt. Ego enim clementissimus sum, et multus ad ignoscendum. Vultis et aliam accipere similitudinem? Quomodo imber et nix descendit de coelo, et illuc ultra non revertetur, sed inebriat terram, et infundit eam, et varia semina pullulat, ut plenis segetibus panes in usus hominum procreentur: sic repromissionis meae verbum, quod semel pollicitus sum, et quod

egressum est de ore meo, irritum non erit; sed omnia opere complebuntur. Juxta anagogen duplex intelligentia est, quod verbum Domini vel ille sit, de quo scriptum est: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1). Qui non revertetur ad eum vacuus, nisi Patris fecerit voluntatem; et universa compleverit propter quae fuerat corporatus, et mundum reconciliaverit Deo. Qui de ore procedere dicitur, et de utero ac vulva: non quod Deus haec membra habeat, sed quod nos naturam Domini per nostra verba discamus. Vel certe hoc dicendum, quod Evangelicae sermo doctrinae imber appelletur, et pluviae quas fundunt super terram bonam, nubes spirituales, ad quas pervenit veritas Dei. Quem imbrem, et quas pluvias Moyses in Deuteronomii Cantico pollicetur (Deut. XXXII, 1, 2): Audiat terra verba oris mei: exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea; ut qui seminaverint in lacrymis, in gaudio metant (Psal. CXXV). Et qui seminaverint in justitia et spiritu, metant fructum vitae sempiternae, accipiantque panem doctrinae Evangelicae, de quo in Proverbiis et in Ecclesiaste scriptum est: Aperi oculos tuos, et implere panibus (Prov. XX, 13); et iterum: Mitte panem tuum super aquam, quia in multitudine dierum tuorum invenies eum (Eccles. XI, 1). Neque enim credendum est, quod praecipiatur vescentibus, ut ad comedendum hunc panem, quo corpora nutriuntur, oculos aperire debeant, et sic saturari panibus, quos in Abacuc comedit pauper abscondite (Abac. III). Sed ad panem doctrinae cohortatur Dei, quem, nisi aperuerimus oculos cordis nostri, comedere non possumus. De quo saepe scribit et Paulus his, qui fidei et veritatis sermonibus nutriuntur (II Cor. IX). Praecipiturque doctori, ut panem doctrinae suae mittat super omnem aquam, et cunctis infundat gratiam spiritualem, et sciat quod si fecerit quae praecepta sunt, in novissimo tempore sit praemia recepturus. Satisque videbitur injustum, ut qui praebet eleemosynam, de iniquo mammona faciat sibi amicos, qui eum recipiant in aeterna tabernacula (Luc. XVI): et qui

spirituales largitur cibos, datque conservis cibaria in tempore suo, non inveniat eos post multa saecula, quae Ecclesiastes appellat dierum multitudinem (Eccl. XI).

## (Vers. 12, 13.)

Quia in laetitia egrediemini, et in pace deducemini. Montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliuncula ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. Et erit Dominus nominatus in signum aeternum, quod non auferetur.

LXX: In laetitia egrediemini, et in gaudio deducemini. Montes et colles exsilient, exspectantes vos in gaudio, et omnia ligna agri applaudent ramis. Et pro --- id est vilissimis stipitibus [Al. stirpibus] ascendet cyparissus: et pro conyza ascendet myrtus. Et erit Dominus in nomen et in signum sempiternum, et non deficiet. Verbum, inquit, meum non revertetur vacuum, sed postquam compleverit universa, quae volui, et meam in terris fecerit voluntatem, tunc ad me veniet; et implebitur illud, quod scriptum est: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (Ps. CIX, 1, 2). In laetitia enim egrediemini de idololatriae sanguine, et deducemini in pace; ut audiatis ab Apostolo: Gratia vobis et pax (Rom. I, 7). Sive in gaudio deducemini: ut post umbram Legis discatis Evangelii veritatem. Montes enim et colles, quos Angelos intelligere possumus, et Sanctorum animas, quae pro varietate virtutum, montes appellantur et colles, gaudebunt super poenitentibus, et mentis laetitiam saltibus indicabunt. Quod et Dominus loquitur in Evangelio: Laetabuntur Angeli in coelo super uno peccatore poenitentiam agente (Luc. XV, 7). Omnia quoque ligna agri plaudent manu, sive ramis, quae plantata sunt secus decursus aquarum, quae fructum suum dabunt in tempore suo, et folium eorum non defluet (Psal I). De quibus unum lignum loquebatur in psalmo:

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (Ps. LI, 10). Interrogemus eos, qui simplicem tantum sequuntur historiam, et elixas carnes agni comedunt. Utrum ligna plaudant ramis, et concrepent manu, et illud quod de fluminibus dicitur: Flumina plaudent manu (Psal. XCVII, 8), quo sensu accipiendum sit. Nec solum montes et colles exsilient atque cantabunt; et omnia ligna agri, cui benedixit Dominus, plaudent ramis, et manibus concrepabunt: sed et οιβὴ quoque et κονύζη sive saliuncula et urtica, in abietem vertentur, ac myrtum et cyparissum. ∑οιβὴ juxta Symmachum et LXX in Hebraeo scribitur NESUS: quem Aquila et Theodotio κονύζην interpretati sunt. Est autem κονύζη herba vilissima et amara, odorisque pessimi. Ubi autem Septuaginta transtulerunt κονύζη, quae in Hebraico dicitur SARPHOD, Symmachus vertit, urticam. Utcumque se habet nominum proprietas, hoc dicendum est, quod mala vertantur in bona, et pro vitiis nascantur virtutes, id est, pro iniquitate, justitia; pro temeritate, fortitudo; pro luxuria, temperantia; pro stultitia, prudentia. Demus exempla majorum: Matthaeus et Zachaeus et publicani, saliuncula erant, et οιβὴ, et stirpes inutiles, et κονύζη amari saporis, et odoris teterrimi, dicentes: Computruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae (Ps. XXXVII, 6). Isti in Apostolos repente mutati, facti sunt cyparissus, et abies, et myrtus, odoris optimi, et in varia opera necessarii. Paulus quoque persecutor Ecclesiae, quando audiebat a Domino: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est contra stimulum calcitrare (Act. IX, 4, 5), urtica erat, habens persecutionis aculeos. Quando autem in toto orbe Evangelium praedicavit, et dicere poterat: Christi bonus odor sumus (II Cor. II, 15), recte cyparissus appellatur, et myrtus. Meretrices et publicani praeveniunt Pharisaeos in regno Dei, et latro de cruce transit in paradisum (Matth. XXI). Ergo illud quod in Evangelio dicitur: Non potest arbor bona facere fructus malos (Luc. VI, 43; Matth. VII, 18), nequaquam refertur ad

naturae proprietatem, ut haeretici volunt, sed ad mentis arbitrium. Denique infertur: Aut facite arborem bonam, et fructus ejus bonos. Ex quo perspicuum est, unumquemque propria voluntate facere animam suam bonam vel malam arborem, cujus fructus varii sunt. Sequitur: Et erit Dominus in nomen et in signum sempiternum, quod non deficiet. His, qui de malo commutati fuerint in bonum, erit Dominus in nomen et in signum aeternum, ut ex ipsius appellentur nomine Christiani, et crucis ejus inurantur cauterio. De quo signo Simeon tenens ulnis parvulum, loquebatur: Hic erit in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum, cui contradicetur (Luc. II, 34): de quo et supradictum est: Dabit vobis Dominus signum (Isai. VII, 14): Et sanctus cantat in psalmo: Fac mecum Dominum signum in bonum (Ps. LXXXV, 17). Et ipse qui signum est: Cum videritis, ait, signum Filii hominis, quod non deficiet, nec ullo fine mutabitur, sed de praesenti conversatione transiet in futurum.

## (Cap. LVI.---Vers. 1.)

Haec dicit Dominus: Custodite judicium, et facite justitiam: quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur.

LXX, pro justitia, misericordiam transtulerunt, caetera similiter. Gentium vaticinio terminato, quae in adventu sermonis Dei de saliuncula et urtica in cyparissum myrtumque mutandae sunt, loquitur Isaias ad illius temporis auditores, ut faciant cuncta, quae recta sunt, et parent se adventui Salvatoris, quia ipse est justitia et misericordia Dei. Si enim cogitationes Sanctorum judicia sunt: et exercitatos sensus ad discretionem boni ac mali habere debemus, cur non omni tempore custodiamus judicium, ne despiciamus personam pauperis in judicio, ne divitis potentia terreamur: sed ita magnum judicemus ut parvum, scientes juxta Moysen, quod Domini judicium sit, qui judicat judicantes (Deut. I);

juxta quod et in psalmo legitur: Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat (Ps. LXXXI, 1). Huic quod nunc dicitur: Custodite judicium, et facite justitiam, illud simile est: Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore (Psal. CV, 3); ut juste quod justum est, persequantur. Quamquam in nomine justitiae, omnis mihi videatur significari locus, quod qui unam justitiam fecerit, cunctas virtutes implesse dicatur quae invicem se sequuntur, et sibi haerent: ita ut qui unam habuerit, omnes habeat, et qui una caruerit, cunctis careat. Tale quid et quartus decimus psalmus sonat: Qui ambulat immaculatus, et operatur justitiam (Ps. XIV, 2). Et alibi scriptum est: Justitiam discite qui habitatis super terram (Isai. XXVI, 9). Quod autem Salvator, qui factus est nobis justitia, et sanctitas, et redemptio, ipse sit misericordia Dei (I Cor. I), sanctorum verba testantur: Et misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam (Ps. LVI, 4).

## (Vers. 2.)

Beatus vir qui facit hoc, et filius hominis qui apprehendet istud: custodiens sabbatum, ne polluat illud: custodiens manus suas, ne faciat omne malum.

LXX: Beatus vir qui faciet haec, et homo qui retinet ista, et custodit sabbata, ut non profanet ea, et servat manus suas, ne faciat iniquitatem. Qui cum apostolo Paulo potest dicere: Quando eram parvulus, loquebar ut parvulus: ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam; postquam factus sum vir, dextruxi ea, quae parvuli sunt (I Cor. XIII, 11): iste praesentem consequitur beatitudinem, praeteritorum obliviscens, et in futurum se extendens donec perveniat in unitatem fidei, et cognitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ut ei psalmus ille valeat coaptari: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum (Ps. I, 1). Iste igitur vir, et filius interioris hominis, de quo in Levitico crebrius dicitur:

Homo, homo (Levit. XVII, 8): in eo beatus est, quod facit primum, et apprehendet haec: judicium scilicet atque justitiam et salutem Domini, quae prope est, et cunctis gentibus revelanda: ut non solum faciat quod praeceptum est, sed stricta teneat manu; et custodiat sabbatum, ne polluat illud: Quod sit autem sabbatum, quod praecepit observandum, sequens versus ostendit: Custodiens manus suas, ne faciat omne malum. Neque enim prodest sedere in sabbato, sive dormire, et epulis inhiare. Sed si bona faciens, quiescat in malis, et juge iniquitatis habeat sabbatum, id est, otium, eaque tantum faciat, quae ad animae salutem pertinent, et ad omne opus servile non moveat. Qui enim facit peccatum, servus est peccati (Joan. VIII). Nos autem in libertatem vocati sumus, qua libertate donavit nos Christus (Galat. IV), ut nequaquam operemur cibum, qui perit; sed adhaerentes Domino, dicamus cum Propheta: Mihi autem adhaerere Deo bonum est (Ps. LXXII, 28). Efficiamur cum eo unus spiritus, impleamusque sabbata dedicata, ne simus de sex diebus, in quibus factus est mundus, de quibus Apostoli non erant, quibus Dominus loquebatur: Si essetis de mundo isto, mundus utique amaret quod suum est. Nunc autem non estis de mundo isto, quia elegi vos, et idcirco odit vos mundus (Joan. XV, 19).

## (Vers. 3.)

Et non dicat filius advenae, qui adhaeret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo: et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum.

LXX: Ne dicat alienigena, qui appositus est Domino: Putasne separet me Dominus a populo suo? et ne dicat eunuchus, quia ego sum lignum aridum. Qui humiliter hunc locum intelligunt, ad proselytos ex gentibus et vere eunuchos referunt quae dicuntur, quod et advenae, si legem Domini susceperint, et circumcidantur, et eunuchi, qualis fuit Candacis ille reginae (Act. VIII), qui etiam in

itinere otiosus esse non poterat, et dum quaerit interpretem lectionis, Christum reperit quem quaerebat, non sint externi a salute Dei. Hoc autem, inquiunt, dicitur contra Judaeos, qui nobilitatem jactant generis, et filios Abrahae se esse dicunt, et beatos putant qui habent semen in Sion, et domesticos in Jerusalem (Joan. VIII). Nos autem quos supra per saliunculam et urticam et κονύζην et οιβὴν interpretati sumus (Supra ad cap. LV), in abietem et cyparissum myrtumque conversos, eosdem nunc ac fidem Evangelii intelligimus provocari: quod desperare non debeant, si adhaeserint Domino: nec se putent a Dei populo separari. Omnes enim qui in Christo sunt baptizati, Christum induerunt (Galat. V). Non est Judaeus et Ethnicus, Circumcisio et Praeputium, quibus in Deuteronomii praecipitur Cantico: Laetamini gentes cum populo ejus, id est, Dei qui priorem habuit populum Judaeorum (Deut. XXXIII, 43). Qui de Oriente et Occidente venientes, requiescent in sinu Abraham. Hoc est quod et Joannes Baptista dicebat: Et ne dicatis, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae (Matth. III, 9). Et quomodo in proselytis non est ulla diversitas, sed et viri et feminae ad salutem pariter vocantur: sic et in eunuchis qui se castraverunt propter regna coelorum, uterque sexus accipitur; qui mortificaverunt membra sua super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, desiderium malum: donec perveniant omnes in virum perfectum, et dicant cum Apostolo: Nos neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus juxta carnem Christum, sed nunc jam non novimus (I Cor. V, 16). Ergo in eunuchis nequaquam illi intelligendi sunt, quos ardens poeta describens ait (Lucan. lib. X):

Nec non infelix ferro truncata juventus,
Atque exsecta virum . . . . . . . .

Sed illi de quibus Dominus in Evangelio loquitur: Qui se castraverunt propter regnum coelorum (Matth. XIX,

12): quales erant et Apostoli, quibus admirantibus et pro rei difficultate dicentibus: Quis ergo potest salvus fieri? respondit Salvator: Qui potest capere, capiat. Unde et Apostolus de hujuscemodi eunuchis, id est, de virginibus, praeceptum Domini se non habere testatur, sed dat consilium quasi misericordiam consecutus a Domino, volens omnes esse sicut seipsum: Tempus enim, ait, in collecto est: superest, ut et qui habent uxores, sic sint quasi non habeant (I Cor. VII, 29). Qui enim liber vocatus est a servitute et officio conjugali, iste vere servus est Christi.

## (Vers. 4, 5.)

Quia haec dicit Dominus eunuchis: Si custodierint sabbata mea, et elegerint quae volui, et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum: et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

LXX: Haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quae ego volo, et tenuerint testamentum meum, dabo eis in domo mea, et in muro meo locum nominatum, meliorem filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis et non deficiet. Duo proposuerat, proselytos et eunuchos. Prius loquitur de eunuchis, datque eis praecepta vivendi, et futurorum praemia pollicetur. Et post eos venit ad proselytos, illis quoque similia repromittens. Loquitur ergo eunuchis, qui desperatione dixerunt, Ecce ego lignum arens (Exod. XXIII), ne se putent subjacere maledicto, quod sterilibus dictum est: Maledictus sterilis qui non facit semen in Israel (Deut. VII). Si, inquit, custodierint sabbata mea, et de meis praeceptis elegerint ea quae volui, et non ea quae pro audientium imbecillitate concessi, et foedus meum sive testamentum omni retinuerint fide, dabo eis in domo mea, et in Templo meo, et in muris firmissimae civitatis meae locum, et nomen melius filiis et filiabus, quod nulla

oblivione delebitur. Qui sint eunuchi supra diximus, qui solliciti sunt ad ea quae Dei sunt; quibus loquitur et Sapientia, quae titulo Salomonis inscribitur: Beata sterilis immaculata, quae non cognovit stratum in delicto, habebit fructum in visitatione animarum. Et eunuchus, qui non est operatus manu iniquitatem, neque cogitavit contra Dominum mala. Dabitur enim fidei ejus electa gratia, et pars in templo Domini delectabilis (Sap. III, 13, 14). Haec sterilis virginitate fecunda est; hic eunuchus regno coelorum vim facit, et violenter diripit illud. Iste custos sabbatorum, ut numquam faciat opera nuptiarum (I Cor. VII). Iste elegit quae Dominus voluit, ut plus offerat quam praeceptum est: ut non indulgentiam Apostoli ejus, sed voluntatem consideret. Iste tenet foedus Domini sempiternum, ut non ad tempus vacet orationi, et iterum ad id ipsum revertatur, sed accepturum esse se noverit in domo Domini, quae est Ecclesia ejus, locum optimum. Multae enim mansiones sunt apud Patrem (Joan. XIV). Et qui eunuchus fuerit, ac fecerit universa quae scripta sunt, habebit in muris ejus locum optimum, ut scilicet turris Domini efficiatur, et in sacerdotali consistat gradu, et pro carnis filiis, multos habeat filios spirituales. Talem fuisse eunuchum, quem Jesus amavit plurimum, Evangelistam Joannem, Ecclesiasticae tradunt historiae, qui recubuit super pectus Jesu (Joan. XIII); qui Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum (Joan. XX); qui in secreta divinae se nativitatis immergens, ausus est dicere, quod cuncta saecula nesciebant: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum (Joan. I, 2). Facessat igitur omnis cavillatio Judaeorum, et risui praebere se cesset, aperiens semiviris regna coelorum, cum pudicitia non in debilitate sit corporis, sed in animi voluntate.

## (Vers. 6, 7.)

Et filios advenae, qui adhaerent Domino, ut colant eum, et diligant nomen ejus, ut sint ei in servos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, et tenentem foedus meum, adducam eos in montem sanctum meum, et laetificabo eos in domo orationis meae.

LXX: Et alienigenis, qui additi sunt Domino servire ei, et diligere nomen ejus, ut sint ei in servos ÷ et ancillas ** et omnes qui custodiunt sabbata mea, ut non violent ea, et tenent testamentum meum, inducam illos in montem sanctum meum, et laetificabo eos in domo orationis meae. Post eunuchos transit ad alienigenas, quos prius nominaverat, et illis quoque praemia pollicetur: quod si servierint ei, et de servitute transierint ad nominis illius charitatem, sint ei servi: qualis fuit et Apostolus Paulus, scribens in principio Epistolarum suarum: Paulus servus Jesu Christi (Rom, I, 1). Et Moyses famulus Dei (Hebr. III). Quod autem in LXX additum est: et ancillas, obelo praenotavimus. Neque enim fieri potest, ut in spiritualibus donis sit sexus ulla diversitas: cum in Christo Jesu non sit vir et mulier; sed omnes in eo, unum simus (Joan. XVII). De sabbato et foedere sempiterno supra diximus. Qui ergo haec fecerit, adducet eum Deus in monte sancto suo, et laetitia afficiet in domo orationis suae. Mons sanctus, aut dogmata veritatis sunt, Trinitatisque confessio: aut ipse Dominus, ad quem ultimo tempore (juxta hunc eumdem Isaiam et Michaeam prophetam) gentes plurimae confluent (Isai. II, Mich. IV). Domusque orationis Ecclesia est, quae in toto orbe dividitur, et non Templum Judaeorum, quod brevissimis Judaeae terrae arctabatur angustiis.

## (Vers. 8, 9.)

Holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altare meum: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel: adhuc congregabo ad eum

congregatos ejus: Omnes bestiae agri, venite ad devorandum, universae bestiae saltus.

LXX: Holocaustomata eorum et victimae erunt acceptabiles super altare meum. Domus enim mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus, dixit Dominus, qui congregat dispersos Israel: quia congregabo ad eum congregationem. Omnes bestiae ferae, venite, comedite, omnes bestiae saltus. Differentiam hostiarum et holocaustorum in Levitico plenius discimus. Holocausta sunt, quae super altare integra concremantur. Victimae et hostiae, quarum pars offertur altari, pars sacerdotibus traditur. Non est ergo credendum quod alienigenarum et eunuchorum hostiae, ritu Judaico requirantur. Sed hoc scire debemus, quod holocausta eunuchi offerant, qui totos se consecrant Deo; victimas autem alienigenae, qui ad tempus vacant orationi, de quibus loquitur Deus: Hostia laudis glorificavit me; et in alio loco: Immola Deo sacrificium laudis (Ps. XLIX, 14). De his victimis et holocaustis, per Osee Dominus loquitur: Misericordiam volo et non sacrificium: scientiam Dei, magis quam holocausta, quae offeruntur super altare Domini (Osee, VI, 6). Quod Joannes in Apocalypsi in coelo se vidisse testatur, sub quo erant animae martyrum (Apoc. VI). Ex quo unus de Seraphim carbonem forcipe comprehensum ad Isaiae detulit labia purganda (Isai. IV, 6). Hoc est altare, et hoc tabernaculum, ad cujus similitudinem omnia in Exodo facta referuntur, quibus oblatae sunt victimae spirituales Deo (Exod. XXXVIII). Alioquin de corporalibus hostiis, et holocaustis supra idem testatur Deus: Ut quid mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum holocaustomatibus arietum, et adipe agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Domus enim mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. Non uni genti Judaeae, nec uno Hierosolymae et urbis loco, sed in toto orbe terrarum: nequaquam taurorum et hircorum, et arietum, sed orationis. Quo testimonio Dominus abusus est, loquens contra eos, qui

Spiritus sancti sub nomine, columbarum in Templo dona vendebant, et sedebant in cathedris pestilentiae, et habebant mensas nummulariorum (Matth. XXI et Joan. II), omnia facientes turpis lucri gratia, nescientes illud quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date (Matth. X, 8). Haec autem futura Dominus repromisit, qui congregat dispersos Israel. Ad quos et Petrus Apostolus scribit Epistolam: de quibus Evangelista loquitur: Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (Joan. XI, 7), implereturque quod dictum est: Congregatio populorum circumdabit te: propter hanc in excelsum convertere (Psal. VII, 8). Congregatis autem per Apostolos reliquiis Israel, et in unum redactis gregem his, qui fuerant ante dispersi, omnes bestiae provocantur, ut veniant et devorent Israel, eos videlicet, qui credere noluerunt, de quibus Apostolus: Etenim perveniet super eos finis (Philipp. III). Et Dominus in Evangelio: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quod advenerit ejus consummatio (Luc. XI, 20). Sive hoc dicendum, quod bestiis ad devorandum traditi sunt, quas detestatur Propheta, dicens: Ne tradas bestiis animas confitentes tibi (Ps. LXXIII, 19): de his tropologice bestiis, quae partem quamdam Domini devorarunt, et supra (Ad cap. IX) legimus, Syriam ab ortu solis, et Graecos ab Occidente, qui devorant Israel toto ore. Et in Jeremia: Ovis errans Israel, leones ejecerunt eam: primus devoravit eam rex Assur, et novissimus confringet ossa illius rex Babylonis (Jerem. L, 17). Potest et hoc dici, quod cum Israel populo rabidae prius gentes provocentur ad fidem, ut desertis saltibus, qui de exercitu Abessalon plurimos occiderunt, veniant ad Ecclesiam et comedant coelestem panem, agnique carne saturentur.

## (Vers. 10-12.)

Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius.

LXX: Videte quoniam excaecati sunt omnes: non cognoverunt universi, canes muti non poterunt latrare: somniantes lectulum, amantes dormitationes. Et canes [b impudentes animae ignoraverunt saturitatem. Et sunt mali nescientes intelligentiam: omnes vias suas secuti sunt. Unusquisque simul a summitate ejus. Venite et sumamus vinum, et inebriemur, et sit talis dies crastina, magna amplius nimis **. Ut omnes, inquit, bestiae saltus veniant, et devorent congregatos, sive in locum Judaeorum, gentium turbae succedant, speculatores eorum in causa sunt, Scribae videlicet et Pharisaei: quia omnes caeci nescierunt Dominum Salvatorem, nec lucem voluerunt videre praesentem. Ad quos Dominus loquebatur: Stulti et caeci, quid est plus, aurum, an altare quod sanctificat aurum (Matth. XXIII, 17)? et iterum: Duces caeci, culicem liquantes, et camelum glutientes (Ibid., 24); et: Caecus caecum ducens, ambo in foveam cadunt (Matth. XV, 14). Quod autem magistri speculatores vocentur, et supra legimus. In eo enim loco ubi juxta LXX dicitur: Vox custodum tuorum elevata est (Isai. LII, 8), in Hebraico scriptum est: Vox speculatorum tuorum. De quibus erat Ezechiel, cui loquitur Deus: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel (Ezech. III, 17). Sed illi speculatores non erant caeci. Denique appellabantur videntes. Isti autem de quibus Propheta nunc loquitur, non solum speculatores caeci, sed et canes muti appellantur, non valentes latrare. Qui enim gregem Domini custodire debebant, et lupos abigere, et latrare pro Domino, diligunt somnia, et daemoniacis visionibus delectantur. Et

est sensus: Non possunt loqui veritatem, sed universa mendacia. Nec hoc fine contenti sunt, qui in custodia gregis Domini dormiebant, et latrare non poterant, et amabant cubile, per quae voluptas corporis indicatur; sed apud suos impudentes animae nescierunt saturitatem, qui numquam suo saturantur errore. Qui devorant plebem Domini sicut escam panis, et domos viduarum: gulaeque ac libidini serviunt. Non enim possunt dicere: Mandatum Domini lucidum illuminas oculos (Ps. XVIII, 9), nec nosse quod scriptum est: Sapientia hominis illuminat faciem ejus (Prov. XVII, 24). Et canes muti adversum inimicos, de quibus scriptum est: Nolite sanctum dare canibus (Matth. VII, 6). Et canes dormientes, qui nesciunt esse praeceptum: Ne dederis somnum oculis tuis, et palpebris tuis dormitationem (Ps. CXXXI); et rursum: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (Matth. XXIV, 42). Et idcirco dantes locum diabolo, canes impudentissimi sunt, qui numquam saturantur. Vomunt enim quod comederunt, et revertuntur ad vomitum suum (Prov. XXVI). De quibus et Petrus Apostolus loquitur: Accidit illis verum illud proverbium: Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti (II Pet. II, 22). Quos speculatores et canes eosdem esse pastores, sequens sermo demonstrat: Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Verbum enim Hebraicum ROIM quod quatuor litteris scribitur, res et ain et jod et mem, si legatur roim, pastores; si raim, pessimos sonat. Hoc diximus, ut variae interpretationis causas monstraremus. Omnes enim sua quaesierunt, et non quae Dei sunt, nec ambulaverunt per viam Domini (Philipp. II), de qua scriptum est: Quaerite quae sit via bona: et ambulate in ea (Jerem. VI, 16). Sed juxta quod in Judicum volumine legitur: Non erat rex in Israel; unusquisque quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat (Judic. XVII, 6), et proprios sequebatur errores. Quodque sequitur: Unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum: venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius, in LXX Interpretibus

non habetur, sed ex Hebraico additum, stellis illuminantibus praenotatur. Denique hos versiculos nullus Ecclesiasticorum Interpretum disseruit, sed quasi patentem in medio foveam transiliunt atque transmittunt. Quod autem dicit, hoc est, quoniam a via Domini declinantes, proprias semitas sunt secuti, propterea ardent avaritia a summo usque ad novissimum, a principibus usque ad plebem, ut postquam coeperint percutere conservos, et comedere ac bibere cum ebriis, dicant: Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate. Manducemus et bibamus: cras enim moriemur. Et erit sicut hodie, sic et cras: et multo amplius (I Cor., XV, 2). Hoc est quod supra dixit: Nescierunt saturitatem: nec praeterita voluptate satiantur, sed futuras delicias parant, multo majores quam quibus prius fruiti fuerant. Si hoc de principibus dicitur Judaeorum, propter quos plebs Domini a bestiis devorata est, vitemus exempla pejorum, nec in ebriemur vino, in quo est luxuria, nec voluptatibus obruamur; nec muti ad loquendum, contra adversarios nostros rabidi canes simus; sed Dei potius quam nostras sequamur vias, et audiamus Scripturam monentem: Sapite de Domino in bonitate (Sap. I, 1). Et iterum: Intelligentia optima est his qui faciunt eam. Et si canes fuimus, non desperemus salutem, audientes verba Chananaeae dicentis ad Dominum: Etiam, Domine, nam et catelli comedunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum (Matth. XV, 27). Ob quam causam misericordiam consecuta, audit a Domino: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Poterat enim dicere cum Propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri (Ps. CXVIII, 32). Et iterum: Deduc me in via recta.

## (Cap. LVII.---Vers. 1, 2.)

Justus perit], et non est qui recogitet in corde suo: et viri misericordiae colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiae collectus est justus. Veniat pax: requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua.

LXX: Videte quomodo justus periit, et nemo suscipit corde: et viri justi tolluntur, et nemo considerat. A facie enim iniquitatis ablatus est justus: erit in pace sepultura ejus: ablata est de medio. Propter speculatores caecos et canes mutos, qui ipsi pastores sunt, nescientes intelligentiam, nec praesentibus saturantur voluptatibus, sed semper se praeparant ad futuras, justus periit, de quo dicit uxor Pilati: Nihil tibi sit et justo illi (Matth. XXVII, 19). Qui lotis manibus, innocens sum ego, inquit, a sanguine justi hujus. In quo considerandum quod verbum perditionis, de quo saepe haeretici calumniam faciunt, quod interitum significet, et abolitionem in perpetuum, ponatur super Christo, cujus utique perditio persecutionis magnitudinem, et non finem monstrat substantiae. Et nemo est, ait, qui recogitet in corde suo, sive reponat. Neque enim fieri poterat, ut caeci et muti videntes vana et amantes somnia, ignorantesque intelligentiam atque sapientiam, cogitarent ea quae Dei sunt. Quodque sequitur: Et viri misericordiae, sive justi, colliguntur atque tolluntur, Apostolos significat, qui interficiuntur ab impiis, et a Domino congregantur. Causasque reddit cur interfectus sit justus atque sublatus, dicens: A facie enim malitiae collectus est justus, ut mala saeculi non videret. Sive propter malitiam hominum, quorum ipse peccata portabat, ad Patrem victor ascendit. Quod autem juxta Hebraicum dicitur: Veniat pax, requiescat in cubili suo: ambulet in directione sua, sensus quidem perspicuus est, sed verborum consequentia, quae in suae linguae stat idiomate, apud nos videtur esse turbata. Quod autem dicit, hoc est: Veniat pax Justi, quam ascendens ad Patrem Apostolis dereliquit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (Joan. XIV, 27). Cumque pax Christi, quae exsuperat omnem sensum, venerit, requiescent Apostoli ejus in cubilibus suis, et mors eorum requiescet. Ex quo ostendit martyres non perire, sed vincere, et aeterna sede requiescere. Ipse vero cujus pax est, et cujus Apostoli requiescunt in cubilibus suis, ambulat in directione sua, recto itinere ad

Patrem victor ascendens. Porro quod in Septuaginta legitur: A facie malitiae ablatus est justus, erit in pace sepultura ejus, ablata est de medio, omnia referuntur ad Christum absque commixtione personae Apostolorum, cujus sepultura in pace est, et sublata de medio. Neque enim caro ejus vidit corruptionem, nec permansit in sepulcro, qui est inter mortuos liber, dicente Angelo ad mulieres: Quem quaeritis Jesum, non est hic: Venite, et videte locum ubi positus fuit Dominus (Matth. XXVIII, 5, 6). Judaei et haec et caetera quae sequuntur, vel generaliter de omnibus justis arbitrantur intelligi, quorum Manasses fudit sanguinem, et implevit Jerusalem a porta usque ad portam; vel certe Isaiam de sua prophetare morte, quod serrandus sit a Manasse serra lignea, quae apud eos certissima traditio est. Unde et nostrorum plurimi illud, quod de passione Sanctorum in Epistola ad Hebraeos ponitur: Serrati sunt (Hebr. XI, 37), ad Isaiae referunt passionem.

## LIBER DECIMUS SEXTUS.

Egregia disertissimi oratoris sententia est, Felices essent artes, si de illis soli artifices judicarent. Ac ne a profanis tantum sumere videar exemplum, nimirum hoc illud est quod aliis verbis Propheta demonstrat: Beatus qui in aures loquitur audientium (Eccles. XXVI, 12): Qua felicitate tu, filia Eustochium, me compotem esse fecisti; nam cum anterioris libri praefatiunculam legeres, in qua asserui, Apostolos et Evangelistas ea tantum de Septuaginta Interpretibus, vel suis, vel eorum verbis ponere testimonia, quae cum Hebraico consonarent: si qua autem ab aliis addita sunt, omnino negligere: illico mihi non parvam quaestiunculam detulisti, quod scilicet octo versus, qui leguntur in Ecclesiis, et in Hebraico non habentur, tertii decimi psalmi, Apostolus usurparit, scribens ad Romanos: Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum

est: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio et infelicitas in viis eorum: Et viam pacis non cognoverunt: Non est timor Dei ante oculos eorum (Rom. III, 13 seqq.). Quod cum audissem, quasi a fortissimo pugile percussus essem, coepi tacitus aestuare, et stuporem mentis vultus pallore signare. Hebraeus, inquam, ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus, eruditusque ad pedes Gamalielis, aut ignoravit haec, aut eorum, qui lecturi erant, abusus est ignorantia (Philipp. VI, Act. XXII, 3). Quorum alterum ineruditi, alterum callidi est ad malitiam, nec ejus qui dixerit: Et si imperitus sermone, non tamen scientia (II Cor. XI, 6); et iterum: in simplicitate et sinceritate annuntiavi vobis verbum (II Cor. I, 12). Tandem in memet reversus, unius diei spatium postulavi, ut responsio mea nequaquam argumentum humani esset ingenii, sed fructus assiduae lectionis. Itaque omnem Scripturam mente perlustrans, animadverti, sicut omnis pene ad Romanos Epistola de veteri structa est Instrumento, sic et hoc testimonium de Psalmis, et Isaia esse contextum (Vers. 11). Nam duo primi versus: Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, quinti psalmi sunt (Vers. 11). Illud autem quod sequitur: Venenum aspidum sub labiis eorum, centesimi tricesimi noni Psalmi est (Vers. 4). Rursumque quod dicitur: Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, de nono psalmo sumptum est (Vers. 29). Tres autem versiculi qui sequuntur: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio et infelicitas in viis eorum: Et viam pacis non cognoverunt, in Isaia propheta reperi, quos in decimo sexto explanationis ejus libro, quem nunc dictare cupio, expositurus sum. Ultimus autem versus, id est, octavus: Non est timor Dei ante oculos eorum, in tricesimi quinti psalmi principio est. Nec in hoc cuiquam videatur esse diversum, si quod in suis locis numero dicitur singulari, ab Apostolo pluraliter dicatur, qui scribebat ad plurimos, et in unum sensum multa cogebat exempla. Arbitror solutam quaestionem tuam, et nostram regulam super translatione veteris Instrumenti

concussam magis esse quam motam. Et non tam Apostolum de psalmo tertio decimo sumpsisse, quod in Hebraico non habetur, quam eos qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, quaesisse aptum locum, ubi assumptum ab eo ponerent testimonium, quod absque auctoritate in Scriptura positum non putabant. Denique omnes Graeciae tractatores, qui nobis eruditionis suae in Psalmos Commentarios reliquerunt, hos versiculos veru annotant atque praetereunt, liquido confitentes in Hebraico non haberi, nec esse in Septuaginta Interpretibus, sed in editione Vulgata, quae Graece κοινὴ dicitur, et in toto orbe diversa est. Sed jam tempus est, ut coepto incumbamus operi, reliqua persequamur.

## (Vers. 3, 4.)

Vos autem accedite huc, filii auguratricis: semen adulteri et fornicariae super quem lusistis? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam?

LXX: Vos autem accedite huc, filii iniqui, semen adulterorum et meretricis in quo lusistis? super quem aperuistis os vestrum: et super quo ejecistis linguam vestram? Sublato justo, cujus sepultura in pace est, immo sublato de medio, vos qui estis filii iniquitatis, accedite ad me, et audite quae dicam (Joan. VIII). Quomodo enim qui facit iniquitatem, servus est iniquitatis, sic qui juxta Judam proditorem, filius est perditionis, appellari potest filius iniquitatis. Denique scriptum est de Domino Salvatore: Et filius iniquitatis non apponet ut affligat eum (Ps. LXXXVIII, 23). Pro iniquitate, sive iniquorum, quod LXX transtulerunt, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit ONENA, quod nos juxta Symmachum, in auguratricem vertimus, quod scilicet semper Jerusalem, quae est mater audientium, idololatriae dedita fuerit. Quamobrem appellat eos semen adulteri, sive adulterorum (de quibus dictum est: Et maechabantur in lignum et lapidem [Jerem.

III, 9]) ac meretricis: haud dubium quin eamdem significet, de qua supra legimus: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion (Isai. I, 21)? Super quem, inquit, lusistis, conspuentes faciem ejus, barbamque vellentes; et super quem dilatastis et aperuistis os vestrum, et linguam ejecistis, dicentes ei: Samaritanus es, et daemonium habes (Joan. VIII, 48)? Et iterum: Iste non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum (Matth. XII, 24). Et postea in passione: Crucifige, crucifige talem (Luc. XXIII, 21). Et rursum: Sanguis ejus super nos et super filios nostros (Matth. XXVII, 25). Et alibi: Vah, qui destruis Templum, et in triduo instauras illud. Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest. Descendat nunc de cruce, et credimus ei (Ibid. 40).

## (Vers. 4, ñ5.)

Numquid non vos filii scelesti, semen mendax, qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus subter eminentes petras?

LXX: Nonne vos estis filii perditionis: semen iniquum, qui vocatis idola subter frondosas arbores: immolantes filios vestros in vallibus in medio petrae? Vos, inquit, ista fecistis, quae praeteritus sermo narravit. Qui estis filii scelerati, sive perditionis, qualis fuit et Judas proditor, qui appellatus est filius perditionis (Joan. XVII): et semen iniquum sive mendax atque mendacii, qui delectamini in diis subter omni frondosa arbore, et immolatis filios vestros in torrentibus (Act. VIII). De quo et Regum ac Paralipomenon narrat historia, quod immolaverint diis filios suos, et in igne consecraverint (IV Reg. XVI et XVII). Quod quidem et Achab regem Israel, et Manassen regem Juda fecisse, non est dubium, qui a parricidio liberorum ad Prophetarum sanguinem pervenerunt, de quo et in Osee: Immolate, ait, homines, vituli enim defecerunt (Osee XIII, 2). Sive ut in Hebraeo scriptum est:

Immolantes homines, vitulos adoratis. Et in psalmis plenius scribitur: Commixti sunt gentibus, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est eis in scandalum. Et immolaverunt filios suos et filias suas daemonibus, et effuderunt sanguinem innocentem, vel innoxium: sanguinem filiorum et filiarum suarum, et immolaverunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra sanguinibus, et polluta est in operibus suis (Psal. CV, 35 et seqq.). Cum ergo manifesta sit historia, quod filii sint interfectoris Christi ista facientium, occurrit quaestio, quomodo filii dicantur filii perditionis, adversum eos qui volunt esse diversas naturas: aliam quae perdita sit et mala, et salvari nequeat; et aliam bonam, quae perire non possit. Si enim, ut [Col.0550A] illi putant, filii perditionis naturae pessimae sunt: quomodo inventum est quod prius perditum fuerat? Denique in parabolis poenitentium, et ovis perdita de centum ovibus, et drachma quae de decem perierat, reperiuntur, et perditus filius invenitur, de quo ad majorem natu dixerat pater: Iste frater tuus perierat, et inventus est: mortuus erat, et revixit (Luc. XV, 32). Numquam enim perit, nisi quod prius salvum fuit; et numquam moritur, nisi quod ante vixerat. Ergo isti qui nunc appellantur filii perditionis, sive iniquitatis ac sceleris, proprio vitio dereliquerunt Dominum, et de filiis Domini, filii perditionis esse coeperunt, dicente ad eos hoc eodem Propheta: Dereliquistis Dominum, et ad iracundiam provocastis Sanctum Israel (Isai. I, 4). Possumus haec secundum tropologiam, et super haereticis accipere, qui filii perditionis sunt, et semen pessimum, sive mendacii. Ab initio enim mendaces sunt, sicut diabolus, qui est pater ejus, qui est pater omnis mendacii. Isti vocant eos quos deceperunt ad idola, sive ad simulacra dogmatum suorum, subter frondosas arbores atque nemorosas, voluptates illis et delicias pollicentes, sive celantes impuritates suas. Unde et Adam postquam peccaverat, abscondit se in paradiso subter arborem, ne Dei pateret aspectui (Genes. III). Nec dubium est, quin istiusmodi

perditionis filii, et semen iniquum, habeant plurimos filios quoscumque deceperint, et occidant in profundis vallibus, et in barathro impietatis subter imminentes petras, quae semper minantur ruinas, quae pro diversitate mendacii, et varietate dogmatum perversorum, plures appellantur petrae. Nos autem unam habemus petram, quae semper sequitur populum Dei, de qua bibebat quondam populus Israel, quando familiaritate Domini fruebatur.

## (Vers. 6.)

In partibus torrentis pars tua: haec est sors tua, et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium: numquid super his non indignabor?

LXX: Haec est pars tua, haec est sors tua: et illis effudisti libamina et his praeparasti hostias. Super his ergo non irascar? Isaiae temporibus conveniunt quae dicuntur: Omnes enim montes, valles, atque torrentes pleni erant cultu daemonum, de quibus loquitur Jeremias: Quod patres ac filii ligna comportent, ignemque succendant, ut faciant chavonas militiae coeli, conterentibus feminis atque miscentibus similae adipem, ut Dominum ad iracundiam provocarent (Jerem. VII). Nullique dubium quin placentas significent, sive crustulas in manu artificis praeparatas. Hoc enim lingua nostra chavonas sonat. De his ex Domini persona, prophetali spiritu, praecinebat Moyses in Cantico Deuteronomii: Irritaverunt me in diis alienis, et in abominationibus suis ad iracundiam provocaverunt: immolaverunt daemoniis et non Deo (Deut. XXXII, 16, 17). et hoc fecerunt propria voluntate, quia in nostro consistit arbitrio bonum malumve eligere. Denique his qui se Deo virtutibus obtulerunt, dicitur: Elegit nobis haereditatem suam: pulchritudinem Jacob quam dilexit (Psal. XLVI, 5). Et in alio loco: Facta est pars Domini populus ejus Jacob: funiculus haereditatis ejus Israel (Deut. XXXII, 9). Et in Actibus Apostolorum refertur, quod in partem sortemque Pauli et Silae plurimi

se dederint. Qui ergo fuerint pars et sors Domini, sicut Levitae, habebunt partem Domini et dicere poterunt cum David: Pars mea Dominus (Ps. LXXII, 26). Quae possumus et super haereticorum persona accipere: ipsi enim dimisso cultu Dei, errorum suorum simulacra venerantur, et illis offerunt victimas ac libamina effundunt, facientes abscondite, quae turpe est etiam dicere, et captivas ducentes mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes (II Tim. III). Cum igitur ista in utraque impietate faciant impii, nonne justum est Dei contra eos iracundiam provocari?

## (Vers. 7.)

Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum, et illuc ascendisti, ut immolares hostias. Et post ostium, et retro postem posuisti memoriale tuum.

LXX similiter. Quod in excelsis montibus collibusque diis gentium Israel hostias immolarit, et quasi procacissima meretrix cunctis daemonibus divaricarit pedes suos, sacra narrat historia: nullusque fuerit locus qui non idololatriae sordibus inquinatus sit, intantum ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares, et tam publice quam privatim animarum suarum sanguinem funderent. Hoc errore et pessima consuetudine vetustatis multarum provinciarum urbes laborant: ipsaque Roma orbis domina in singulis insulis domibusque, Tutelae simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem aedium isto appellant nomine, ut tam intrantes quam exeuntes domos suas, inoliti semper commoneantur erroris. Haeretici quoque, quorum cor elevatur in superbiam, et qui Ecclesiastica humilitate contempta, sibi excelsa promittunt, ascendunt dogmatum suorum montes sublimissimos, et illic suum daemonibus cubile prostituunt. Et quia secundum Prophetam, conversi sunt retrorsum, imitantes uxorem Lot

(Genes. XIX), mutantur in statuam salis, habentes imaginem Ecclesiasticae conditurae, et saporem penitus non habentes: qui projiciuntur foras, et in nihil utiles sunt, nisi ut cunctorum pedibus conculcentur. Quamobrem monet Dominus in Evangelio, ut qui aratri stivam tenet, post tergum non respiciat (Luc. VIII).

## (Vers. 9.)

Quia juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum: et pepigisti cum eis foedus: dilexisti stratum eorum manu aperta; et ornasti te regio unguento, et multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, et humiliata es usque ad inferos.

LXX: Putabas quoniam si recessisses a me, plus aliquid haberes. Dilexisti dormientes tecum, et multiplicasti fornicationem tuam cum eis, multosque fecisti procul a te, et misisti legatos ultra terminos tuos, et humiliata es usque ad inferos. Primum Hebraicum disseramus, quod in hoc loco multum distat a LXX. Ad quam supra dixerat: Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum, et quasi meretricem arguerat, in introitu domorum et in locis tenebrosis, post ostia prostitutam, ut quicumque aedes vellet intrare, haberet ante oculos expositam voluptatem: eamdem nunc quasi uxorem adulteram arguit atque confutat, quod dormiens cum viro, clam adulterum susceperit, et discooperuerit pallium, immo dilataverit stratum suum, et fecerit pactum, quasi dotis instrumenta conficiens cum adulteris. Hoc autem dicit, ut ostendat quod non solum in agris et domibus idola coluerint, sed in Templo quoque posuerint simulacrum Baal, quod Ezechiel quoque perfosso pariete vidisse se dicit. Dilexisti, inquit, stratum eorum manu aperta (Ezech. VIII), ut non erubesceres in peccato tuo, nec fornicationis cuperes abscondere turpitudinem, sed tota libertate peccares. Et ornasti te regi unguento, et multiplicasti idola tua. Et est sensus: Varia ornamenta

quaesisti, ut et visu et odore adulteros provocares. Quod autem dicitur: ornasti te regi unguento, dupliciter intelligitur: aut regi Deo, dum his ornaris quae ille dederat, et idolis prostitueris: aut certe regi idolo Ammonitarum, qui appellatur Moloch, et in lingua nostra, regem sonat: quam juxta LXX in aliis locis Melchom legimus (Sophon. I). Et misistis legatos tuos procul, ut non solum in vicinarum gentium idolis, sed et in longe positarum haberes studium fornicandi. Significat autem Babylonios deos et Aegyptios. Et humiliata es, ait, usque ad inferos. Non ea humilitate quae in laude est, sed qua Ammon sororem suam Thamar humiliaverat (II Reg. XIII). Et revera grandis humilitas, immo usque ad inferos praecipitatio, de luce et culmine castitatis in tenebras lupanaris, immo in barathrum libidinum praecipitari. Cui dicitur in alio loco: Usque ad inferos deduceris. Juxta LXX, in his quae dissonant, hic mihi sensus videtur: Putasti, meretrix, quod si a me recessisses et junxisses te amatoribus tuis, plus aliquid invenires? Cui et per Ezechiel loquitur Deus: Omnibus meretricibus dantur mercedes; tu autem dedisti mercedes, et in te perversum factum est istud (Ezech. XVI, 33). Non solum enim nihil accepisti ab amatoribus tuis, sed etiam ea quae a viro acceperas, perdidisti. Quodque sequitur: Dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis, in LXX non habetur. Haec dilexit dormientes secum speculatores caecos, et canes mutos, qui dormientes vident somnia vanitatis. Et multiplicavit fornicationem suam, ut non semel cum uno, sed frequenter et cum plurimis misceretur. Propter quod multos fecit a se longe recedere: Angelos qui in ejus praesidiis erant, vel sanctos viros qui ab hujuscemodi meretricis consortio recesserunt. Quod quidem et de haereticis possumus dicere, qui derelicto Deo, suos sequuntur errores, et putant se aliquid plus habere cum sequentes mendacia, perdiderint veritatem, et multiplicaverint fornicationem suam, non in uno dogmate, sed in pluribus, et fecerint a se Ecclesiarum praesides Angelos recedere: qui non contenti fornicatione vicina,

mittunt legatos ultra terminos suos ad gentilium dogmata et errores gentium barbararum, ut novitate sermonum decipiant audientes.ñ

## (Vers. 10.)

In multitudine viae tuae laborasti, et non dixisti: Quiescam: vitam manus tuae invenisti, propterea non silet me.

LXX: Multis itineribus tuis laborasti, et non dixisti, desinam: confortata fecisti haec: propterea non rogasti me. Qui ambulat in via una et regia, non laborat, de qua per Moysen praecepit Deus: Via regia ambulabis, et non declinabis ad dexteram neque ad sinistram (Deut. V, 32). Una via est veritatis, quae dicit in Evangelio: Ego sum via, veritas et vita (Joan. XIV, 6): et multae mendaciorum viae, per quas nunc ambulasse arguitur Jerusalem, quarum viarum Deus sciens differentiam, supra loquitur ad errantes: Non sicut viae meae, viae vestrae (Isai. LV, 8), quae dicunt Domino confitentes: Declinare fecisti vias nostras a viis tuis (Ps. XLIII, 19). Cognita igitur una via regia, videamus quae dextrae viae sint et sinistrae, per quas prohibemur incedere. Via regia temperata est, nec plus in se habens nec minus. Verbi gratia, via recta et regia, prudentia est. Declinamus ad dexteram, si plus sapimus quam oportet sapere, et pro prudentia calliditatem diligimus: quia serpens prudentior erat omnibus bestiis in paradiso (Genes. III): Et filii tenebrarum prudentiores sunt filiis lucis (Luc. XVI). Ad sinistramque divertimus, quando stulti sumus, et minus sapimus quam necesse est. De quibus dictum est: Dixit stultus in corde suo, non est Deus (Ps. XIII, 1). Pietas quoque et vera religio, via regia est. Declinat ad dexteram, qui superstitiosus est, et meretur audire, Ne sis multum justus (Eccles. VII, 17). Ad sinistram, qui negligit cultum Dei, et inter haedos hircosque numeratur. Liberalitas quoque et dispensatio virtus maxima est, a

qua declinat ad dexteram, qui parcus est, et non solum aliis, sed ne sibi quidem tribuit quod necesse est. Ad sinistram, qui comedit substantiam suam cum meretricibus, et dicit cum Israel: Manducemus et bibamus; cras enim moriemur (Isai. XXII, 13). Fortitudo etiam atque constantia via regia est, a qua declinat ad dexteram, qui temerarius et pertinax est: ad sinistram, qui formidolosus et pavidus. Unde vir sanctus per viam rectam gradi cupiens deprecatur: Deduc me, Domine, in via recta (Ps. CXXXVIII, 24). Et in alio loco: Notam fac mihi, Domine, viam in qua ambulem; quoniam ad te levavi oculos meos (Ps. CXLII, 8). De istiusmodi via et alibi Scriptura commemorat: Quaerite viam bonum, et ambulate in ea, et invenietis purificationem animarum vestrarum (Jerem. VI, 16). Jerusalem ergo propterea humiliata est usque ad inferos, quia in multis viis laboravit, neque dixit: Emendabo errorem poenitentia; sed e contrario, confortabor incoepto, nec curabo sententiam commonentis: Averte pedem tuum a via aspera, et guttur tuum a siti (Jerem. II, 25). Denique sequitur: At illa respondit, --- id est, agam viriliter, quod nunc verbo alio dicitur: Confortabor. Et quia fecit haec quae praeteritus sermo narravit, ideo non est Dominum deprecata, in suis magis viribus quam in Deo habens fiduciam. Porro quod juxta Hebraicum ponitur: Vitam manus tuae invenisti, propterea non rogasti, hunc habet sensum et intellectum: Quia rebus omnibus abundasti et affluxisti divitiis, ideo Dominum neglexisti: quas divitias et Salomon habere detrectat, ne obliviscatur Dei (Prov. XXX et XXXI). Et ad Sodomam per Ezechiel dicitur: quia saturata sit panibus, propterea superbivisse (Ezech. XVI). Non solum autem divitiae, sed et paupertas probat hominem. Unde suprascriptum est: Probavi te in camino paupertatis (Isai. XLVIII), in quo et Lazarus probatus est pauper, qui egestatem simul debilitatemque sustinuit (Luc. XV).

## (Vers. 11.)

Pro quo sollicita timuisti: quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens et quasi non videns, et mei oblita es.

LXX: Quem timens perterrita es: et mentita es mihi, nec recordata es mei. Neque posuisti me in mente tua, et in corde tuo. Et ego te videns despiciam, et non me timuisti. Quia plenis horreis habes fiduciam in divitiis, rogare me noluisti, idcirco timuisti plurimos. Non enim poteras dicere: Dominus auxiliator meus, et ego despiciam inimicos meos (Ps. CXVII, 7); Et iterum: Dominus illuminatio mea, et salvator meus, quem timebo (Ps. XXVI, 1)? Quod et si contra mentis tuae conscientiam dicere aliquando voluisti, mentita es. Quomodo enim me poteras invocare, quae mei non habebas memoriam, neque cogitasti unquam praecepta, dicentis: Honora Dominum, et confortaberis, et absque illo nullum metuas (Eccles. XXXVIII)? Ego enim sum qui, juxta Symmachum et Aquilam, semper tacui peccata tua, et scelera quaecumque faciebas, quasi non viderem, dissimulatione neglexi, ut si non timore mei, saltem patientia ad me redires. Qui non oculis, sed palpebris interrogo filios hominum. At in econtrario oblita es mei, et audire meruisti: Oblita es legis Dei tui, et ego obliviscar filiorum tuorum (Osce IV, 6). Et iterum: Ipsi ambulaverunt contra me perversi, et ego ambulabo contra eos in furore perverso. Mens quae in LXX cum corde sociatur, non est scripta in Hebraico, sed quasi interpretatio addita, quid in Scripturis cor intelligi debeat.

## (Vers. 12.)

Ego annuntiabo justitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. Cum clamaveris, liberent te congregati tui.

LXX: Ego annuntiabo justitiam tuam et mala tua, quae non proderunt tibi. Cum clamaveris, eruant te in tribulatione tua. Qui semper tacui, et quasi non viderem

tua peccata, neglexi, nequaquam ultra reticebo, sed dicam quod ante jam dixi: Tacui, numquid semper tacebo? Et annuntiabo justitiam tuam, et opera tua. Quod per ironiam legendum est, velut si quis in sceleribus deprehenso dicat: vide bona opera tua. Propter quod si quando tibi tribulationis tempus advenerit, et coeperis non ad idola quae coluisti, sed ad coelum manus tendere, et Dei implorare auxilium, audiant te illi, et liberent te de periculo quos secura coluisti. Quod et per Jeremiam ad eamdem loquitur Deus: Ubi sunt dii tui quos feceras? Resurgant, et salvam te faciant in tempore malorum tuorum (Jerem. II, 28). Pro eo quod LXX transtulerunt: Eruant te in tribulatione tua; et nos diximus: Liberent te congregati tui, Symmachus transtulit: Eruant te synagogae tuae. Ergo proprie loquitur ad Judaeos, quod eos synagogarum suarum turba tempore obsidionis liberare non valeat.

## (Vers. 13, 14.)

Et omnes eos auferet ventus: tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, haereditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. Et dicam, Viam facite, praebete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei.

LXX: Istos enim omnes tollet ventus, et auferet tempestas. Qui autem sperant in me possidebunt terram, et haereditate consequentur montem sanctum meum, et dicent: Mundas facite a facie ejus vias et auferte offendicula de via populi mei. Judaei de Babyloniis haec asserunt prophetari, quod illis Dei virtute superatis, populus redeat in Judaeam, et possideat montem Sion, et omnia itineris impedimenta tollantur, nec ullius gentis patiatur insidias: quia Dominus planam fecerit viam populo suo. Et haec sub Zorobabel et Ezra impleta contendunt. Nos autem jungentes superioribus quae dicuntur, hoc asserimus, quod omnia idola quae eos non

poterant liberare, tollat ventus atque tempestas, et sint quasi pulvis, quem projicit ventus a facie terrae. Eos autem qui habuerint in Domino fiduciam, possessuros terram, de qua in hoc eodem Propheta lecturi sumus: Elevabit te ad bona terrae. Ex quo perspicuum est, hanc terram non deorsum esse, sed sursum. Ad quam sanctus, Domino elevante, conscendet, de qua crebro diximus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Matth. V, 4); et Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal. XXVI, 13). Mons autem sanctus Dei, ille intelligendus est, de quo ad Hebraeos loquitur, qui scribit Epistolam: Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem, et multa millia Angelorum et Ecclesiam primitivorum qui scripti sunt in coelis (Hebr. XII, 22). Possumus terram et montem Domini, quem sancti possessuri sunt, et Scripturas sanctas intelligere, quas auferendas a Judaeis, Domino comminatur, dicens: Auferetur a vobis regnum Dei, et tradetur genti facienti fructus ejus (Mat. XXI, 43); ut inveniant in eis illum montem, de quo in hoc eodem Propheta (Isai. II), et in Michaea legimus: Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini (Mich. IV, 5). Et ipse Dominus praecepit Apostolis cunctisque doctoribus Ecclesiae, ut quidquid asperum videretur atque difficile, sua interpretatione dissolvant, et intelligentiae viam praebeant, omniaque tollant de medio scandala ut populus Domini absque ullo impedimento quod legit intelligat, et in Dei timore proficiat. De his viis et Joannes Baptista dicebat: Parate vias Domini, etc. (Matth. III, 3). Ubi nos posuimus ex persona Dei, et dicam, LXX posuerunt et dicent: hi videlicet qui possidebunt terram, et haereditate consequentur montem sanctum Dei. Nec erunt propria salute contenti: sed etiam caeteros ad docendum populos provocabunt. Symmachus hunc locum ita interpretatus est: Qui autem confidit in me, possidebit terram, et haereditate consequetur montem sanctum meum, et dicet: Rectam viam facite, et reliqua. Eo quod ipse qui

terram montemque possederit, caeteros instruat, ut viam Domino parent.

## (Vers. 15.)

Quia haec dicit excelsus et sublimis habitator aeternitatis, et sanctum nomen ejus: in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium et vivificet cor contritorum.

LXX: Haec dicit excelsus, et in excelsis habitans in aeternum: sanctus in sanctis nomen illi. Excelsus in sanctis requiescens, et pusillanimis dans patientiam et vitam his qui corde contriti sunt. Coeperat sermo propheticus contra populum Judaeorum, quorum magistros appellavit speculatores caecos, et canes mutos, et pastores ignorantes intelligentiam, et filios iniquos, et semen adulterorum atque meretricis: post quae venit ad Jerusalem, cui exprobrat fornicationem ejus, eo quod dilataverit cubile amatoribus suis, et susceperit eos manu aperta, et ornaverit se cunctis idolis, et miserit legatos procul; ut peregrinis quoque amatoribus frueretur. Qua increpatione finita, venit ad eos qui confidunt in Domino, et quibus terram montemque promiserat possidendum et quorum reversioni iter jusserat praeparari: haud dubium quin Apostolis ad quorum praedicationem de utroque populo crediderunt. Unde a laudibus Dei incipit et quae de reditu populi sui pollicitus sit, sequenti sermone testatur. Haec enim dicit Dominus excelsus atque sublimis, qui habitat in excelsis, et Sanctus in Sanctis, non loco, sed merito eorum in quibus habitat, quorum unus dicit in psalmo: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me (Ps. XXIX, 1). Et iterum: Exaltare, Domine, qui judicas terram (Ps. XCXIII, 2); non quo Deus humanis sermonibus elevetur, sed juxta illud quod alibi dicitur: Dominus mihi factus est in salutem (Ps. CXVII, 21), etiam humilibus excelsus fiat. Qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam (Jac. IV): ut eos elevet et

habitet in excelsis. Excelsus enim Dominus, et humilia prospicit (Ps. CXXXVII, 6). Et in Evangelio Angeli clamitant: Gloria in excelsis Deo, et super terram pax (Luc. II, 14). Et rursum in Psalmis: Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis (Ps. CXLVIII, 1). Et non solum excelsus habitat in excelsis, sed et sanctus in sanctis. Qui dicit in alio loco: Sancti estote; quoniam ego sanctus sum (Levit. XI, 44). Et quomodo in perversam animam non ingreditur sapientia, neque habitat in corpore subdito peccatis (Sap. I): sic sanctus in sanctis habitat; et ubicumque sordes fuerint, non potest habitare munditia, dicente sancto ad Dominum: Tu autem in sancto habitas, laus Israel (Ps. XXI, 1). Unde et nos in oratione audemus dicere: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum. Et in secundo psalmo legimus: Qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos (Ps. II, 4). Christus enim non in his habitat qui terreni sunt, sed in his qui supercoelestes, qui enarrant gloriam Domini, de quibus dicitur: Exaudiat eum de coelo sancto suo (Ps. XIX, 7). Et iterum: Coelum coeli Domino (Ps. XIII, 16): in quem sensum et Moyses famulus Dei pari voce consentit: Ecce Domini Dei tui coelum, et coelum coeli (Deut. X); quod utique non more Judaico debemus accipere, ut Deus ullo claudatur loco et in coelo tantum habitet, qui ubique diffusus est, et a quo omnia continentur: sed excelsa et coelos, Sanctos merito intelligamus atque Virtutes. Iste est enim qui habitat in coelo, de quo in Evangelio scriptum est: Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo (Joan. III, 13). Iste requiescit in sanctis et habitat in humilibus et in his qui contriti sunt spiritu. De quibus dicitur: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despicit (Ps. L, 19). Ipse pusillanimis dat patientiam, ut in angustiis constituti, spe futurorum, tribulationem sustineant. Ipse dat vitam, utique his qui peccato mortui erant. De quo dicitur: Apud te est fons vitae (Ps. XXXV, 10). Qui loquitur in Evangelio: Ego sum via, veritas et vita (Joan. XIV, 6).

## (Vers. 16.)

**Non in sempiternum litigabo, neque usque in finem irascar: quia spiritus a facie mea egredietur et flatus ego faciam.**

**LXX: Non in aeternum ulciscar in vos: neque semper irascar vobis. Spiritus enim a me egredietur, et flatum omnem ego feci. Dominus qui in excelsis habitat, et humilia respicit, cujus nomen est sanctum, et requiescit in sanctis: qui sustentat afflictos, et vitam tribuit oppressis (Ps. CXII), haec locutus est: Non semper irascar, nec jugiter indignabor. Qui ad hoc percutio, ut emendem, ideo occido, ut vivificem. Misereor enim creaturae meae; et quos ipse condidi, in aeternum perire non patiar. Spiritus quoque meus, qui ex me egredietur, sive qui juxta Hebraicum, Aquilam, Symmachum et Theodotionem, cuncta circumdat, vegetator est omnium. Et flatum, sive pluraliter flatus (hoc quippe NASAMOTH), ego feci, de quo alibi scriptum est: Omnis flatus, sive omne quod spirat laudat Dominum (Ps. CL, 6). De quo spiritu et flatu in principio Geneseos scriptum est: Insufflavit Deus flatum vitae, et factus est homo in animam viventem. Tale quid et Job loquitur: Spiritus Domini qui est in naribus meis, et flatus omnipotentis qui docet me (Job. XXVII, 3). Cum ergo a me egrediatur spiritus, et flatu atque inspiratione mea cuncta vegetentur et vivant, non est justum perire eos in aeternum, qui meo flatu ac spiritu sustentantur. Quidam nostrorum hunc esse aiunt spiritum, quo omnis mundus inspiratur et regitur; et cuncta habent notitiam Dei, quem juxta Stoicos insignis poeta scribens, ait (Virgil. VI Aeneid.):**

***Principio coelum ac terras camposque liquentes,
Lucentemque globum lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus,
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.***

et reliqua. Alii vero sanctum Spiritum intelligunt, qui in principio ferebatur super aquas, et vivificabat omnia: qui de Patre egreditur, et propter societatem naturae, a Filio mittitur dicente, Expedit vobis ut ego vadam. Nisi enim ego iero, Paracletus non veniet ad vos: sin autem ego iero, mittam eum ad vos (Joan. XVI, 7). De quo rursum ait: Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui de Patre egreditur (Joan. XV, 26). Ne scandalizet quempiam, si Spiritus egredi dicatur ex Patre, cum etiam Filius de se dixerit: Ego de Patre exivi, et veni; neque enim a meipso exivi, sed ille me misit (Joan. XVI, 28). De hoc Spiritu loquebatur: Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut sit vobiscum semper, Spiritum veritatis (Joan. XIV, 16). Hic est Spiritus de quo scribit et Moyses: Quis det ut omnis populus Domini sit in Prophetas, et det Dominus Spiritum suum super eos (Num. XI, 29)? Et Joel ex persona Dei: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae (Joel. II, 28). Et Zacharias: Verumtamen verba mea, et legitima mea suscipite, quae ego praecipio in Spiritu meo, servis meis Prophetis (Zach. I, 6). Et iterum: Effundam super Jerusalem Spiritum gratiae et misericordiae (Zach. XII, 10). Multaque alia de utroque Testamento quae nunc longum est repetere. Hoc solum dicimus, quod idem Propheta de hoc Spiritu et flatu pariter sit locutus: Haec dicit Dominus Deus qui fecit coelum. Et post paululum: Qui dat flatum populo suo, qui est super eam, et spiritum his qui calcant eam (Isai XLII, 5).

## (Vers. 17 seqq.)

Propter iniquitatem avaritiae ejus iratus sum, et percussi eum: abscondi, et indignatus sum: et abiit vagus in via cordis sui. Vias ejus vidi, et sanavi eum: et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi et lugentibus ejus. Creavi fructum labiorum, pacem, pacem ei qui longe est et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. Impii autem

quasi mare fervens quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. Non est pax, dixit Deus. impiis.

LXX: Propter peccatum ad modicum quid contristavi eum, et percussi eum: et averti faciem meam ab eo, et contristatus est et ambulavit tristis in viis suis. Vias ejus vidi, et sanavi eum: et consolatus sum illum, et dedi ei consolationem veram, pacem his qui longe, et qui prope sunt, dicit Dominus, et sanabo eos. Qui autem iniqui sunt, fluctuabunt, et quiescere non poterunt. Non est gaudium impiis, dicit Dominus Deus. Post abjectionem populi Judaeorum et eorum qui in Salvatorem credere noluerunt, pollicitus fuerat habentibus in se fiduciam, terram mitium montemque sanctorum, et Apostolis praeceperat: Viam facite populo revertenti, et omnia de medio scandala tollite. Ac ne incredibile videretur, exponit potentiam suam, quod excelsus et magnus facile possit poenitentibus veniam tribuere, et justum sit, ut Creator misereatur creaturae suae. Propter quae jungit, quod iratus sit et contristaverit populum suum: idcirco se fecisse quia peccaverit, et iniquitatis avaritiam habuerit, nec una fuerit iniquitate contentus; sed semper addiderit peccata peccatis. Et percussi, inquit, eum ad breve, ut sanarem, et abscondi, subauditur, faciem meam, ut magis me desideraret, et diceret: Ostende faciem tuam et salvi erimus (Ps. LXXIX, 4). Indignatusque sum; quod ille sentiens, tristis incessit, dicens: Tota die tristis ingrediebar (Ps. XXXVII, 7). Et ambulavit moerens, sive conversus in via cordis sui, ut non ad faciem hominum, sed in corde ageret poenitentiam. Propterea videns vias conversionis ejus, sanavi vulnera, quibus eum ante percusseram. Et reduxi eum ad me, quem prius ejeceram, et reddidi ei consolationem veram. Multae enim falsae sunt consolationes, quibus genus decipitur humanum. Sive consolatus sum lugentes ejus, dicens in Evangelio: Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (Matth, V, 5). Quodque sequitur: Creavi fructum labiorum, hunc habet

sensum, implevi quod pollicitus eram, dicens: Vivo ego, dicit Dominus, malo poenitentiam peccatoris, quam mortem (Ezech. XXXIII, 11). Sive omnia tribui quae antea promiseram. Quae est autem Domini pollicitatio? Pacem meam do vobis: Pacem meam relinquo vobis (Joan. XIV, 27). Et hoc est quod nunc ait: Pacem super pacem; non uni tantum genti, sed omni mundo: his videlicet qui erant longe, et qui prope, id est, primum gentibus, et postea his qui ex Israel credere voluerunt. De quibus dicit et Apostolus: Vobis quidem oportebat praedicari verbum Dei; sed quia indignos vos judicastis salute; ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46). Qui scribens ad Ephesios, et de populo Circumcisionis atque Gentilium plenissime disputans, intulit: Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra: qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae, solvens inimicitiam in carne sua, et reliqua (Ephes. II, 13, 14); et iterum: Et veniens, annuntiavit pacem vobis qui longe, et pacem his qui prope erant (Ibid., 17). Quoniam per ipsum habemus accessum utrique in uno spiritu ad Patrem: dans pacem super pacem his qui fuerant longe, et qui prope et qui non habuerant Legem et Prophetas: et qui ante susceperant, suscepit eos atque sanavit. Impii autem sive iniqui, fluctuabunt, quasi mare fervens, et quiescere numquam poterunt. Quod licet de omni impio possit intelligi, tamen proprie refertur ad populum Judaeorum, qui consona voce clamavit, et perseveravit in impietate sua, dicens: Crucifige, crucifige talem. Non habemus regem nisi Caesarem (Joan. XIX, 15). Sicut igitur mare fervens quiescere non potest, sed redundant fluctus ejus, et revolvuntur ad littora, atque iterum resorbentur, et in se fracti, lutum efficiunt quod pedibus conculcatur: sic impii aeternae conculcationi subjacebunt, quorum nullum est gaudium, et qui nulla pace requiescunt in eo quod impii perseverant. Quidam hunc locum specialiter super Salvatore intelligunt: quod propter peccata mundi ad modicum contristatus sit, dicens: Tristis est anima mea

usque ad mortem (Matth. XXVI, 38). Et percusserit eum Pater qui loquitur per Zachariam: Percutiam pastorem, et oves dispergentur (Zach. XIII, 7); qui et ipse de se in sexagesimo octavo psalmo dixerit: Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt (Psal. LXVIII, 27). Et averterit Deus faciem suam ab eo, ut formam servi paulisper acciperet, ambularet tristis, et lugens peccata populi, deplorans et plangens Jerusalem. Et qui viderit Pater vias ejus, propterea sanaverit eum, qui fuit inter mortuos liber: et caro ejus non vidit corruptionem, ut qui percussus est in cruce, sanaretur in resurrectione. Et consolatus sum, inquit, eum, dans ei pro una gente Judaeorum, universum mundum. Et lugentes ejus, subauditur, consolatus sum. Nec dubium quin Apostolos significet. Et complevit fructum labiorum suorum, qui dixerat ei: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Ps. II, 8): pacem super pacem, mundum reconcilians Deo, ut utrumque populum vocaret ad se, et sanaretur a Patre. Impios autem, de quibus supra diximus, comparat mari, quod numquam potest quiescere, sed etiam in summa tranquillitate, fractis ad littora volvitur fluctibus, finisque ejus lutum est et conculcatio.

## (Cap. LVIII.---Vers. 1.)

Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.

LXX: Clama in fortitudine, et ne parcas: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo peccata eorum, et domui Jacob iniquitates eorum. Finito priori capitulo, in quo pax justis, et nulla requies impiis nuntiatur, praecipit Deus Isaiae prophetae, ut clamet in fortitudine, et instar tubae exaltet vocem suam, et peccata ac scelera populi Israel dicere non formidet, nequaquam mortem metuens, nec impiorum terricula et convicia; sed magis consideret

imperantem Dominum. Et quia surdas aures habeant, et audire vix possint, juxta Symmachum et Aquilam, guttur suum vertat in buccinam, quae Hebraice dicitur SOPHAR, quam --- id est, corneam interpretati sunt. Et supra quidem ubi Apostolis dicebatur, In montem excelsum ascende, qui evangelizas Sion: exalta fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere (Isai. XL, 9); nec buccina assumitur, nec tuba, sed montem jubentur ascendere. Hic autem quia peccatores erant, quibus nuntiandum est, et morabantur deorsum, non jubetur Propheta ut ascendat in montem: sed tantum ut exaltet sicut tuba vocem suam, et eis nuntiet bella ventura. Alioquin in die judicii, quando in resurrectione mortuorum et novissima tuba dicitur, scriptum est, Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: ut quomodo illi ad vocem tubae sunt judicandi: sic Israel peccato mortuus audiat scelera sua; simulque appellatur populus Dei, ut discat qualem patrem perdiderit, qui etiam peccatorem vocet populum suum.

## (Vers. 2.)

Me etenim de die in diem quaerunt, et scire vias meas volunt: quasi gens quae justitiam fecerit, et quae judicium Dei sui non dereliquerit.

LXX similiter. Hoc proprie Judaeis convenit, qui per singulos dies currunt ad synagogas, et Dei legem meditantur, scire cupientes quid Abraham, Isaac et Jacob, quid et caeteri sanctorum fecerint, et libros Prophetarum ac Moysi memoriter revolventes, decantant divina mandata, quibus rectissime illud aptabitur: Quaerent me mali, et non invenient. Sic enim scriptum est: Omnis qui quaerit invenit (Mat. VII): quicumque non invenit, male quaesisse convincitur; Dominus enim invenitur ab his qui eum quaerunt in bonitate, et ostenditur illis qui non sunt ei increduli. Cum igitur justitiam judiciumque reliquerint Dei, quibus nominibus

Christus ostenditur, dicente psalmographo: Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (Ps. LXXI, 1): Christus enim factus est nobis redemptio, sanctitas, et justitia (I Cor. I): frustra legis jactant scientiam, cum sanctus non in notitia Scripturarum, sed in operibus glorietur, dicens: Viam mandatorum tuorum cucurri, quando dilatasti cor meum (Ps. CXVIII, 31).

## (Vers. 3.)

Rogant me judicia justitiae, et appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in de jejunii vestri invenitur voluntas vestra et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie.

LXX: Petunt me nunc judicium justum, et appropinquare Deo cupiunt, dicentes: Quare jejunavimus, et non vidisti? humiliavimus animas nostras, et non cognovisti? In diebus enim jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestrae, et omnes subjectos vobis affligitis, ad judicia et jurgia jejunantes, et percutitis pugnis humilem. Est alia temeritas Judaeorum, quasi fiducia bonae conscientiae, judicium postulant justum, et imitantur sanctorum verba dicentium: Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum (Ps. XXV, 1, 2). Et iterum: Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum. Et in alio loco: Judica causam meam, et redime me (Psalm. CXVIII, 154). Et appropinquare Deo desiderant: cum hoc non in loco sit, sed in affectu, nec mentis otiosae, sed laboriosi operis. Denique quid sit appropinquare Deo, instruit Scriptura, dicens: Quaerite Dominum. Cum autem appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas. Appropinquat enim Dominus appropinquantibus sibi, et his qui juste quod justum est persequuntur, et possunt dicere: Mihi autem adhaerere Deo bonum est (Ps.

LXXII, 28). Si enim Omnipotens Deus Pater est veritatis atque justitiae, quicumque est mendax et injustus, appropinquare Deo non potest, de quo scriptum est: Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos (Ps. V, 6). Quare jejunavimus, inquiunt, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti? Injustitiae arguunt Dominum, quod bona opera non respiciat, solamque ventris esuriem, absque opere virtutum ingerunt Deo: non comedentes eos cibos quos creavit Deus fidelibus et his qui cognoscunt veritatem, ut sumant eos cum gratiarum actione: sed illos de quibus scriptum est in Proverbiis: Hi enim aluntur cibis impietatis et vino iniquitatis inebriantur (Prov. IV, 17). Hujuscemodi epulis saturatus Pharisaeus, inter caetera verba superbiae, his in sabbato se jejunare jactabat (Luc. XVIII): qui non biberat vinum de vinea Sorec, sed de vinea Sodomorum, cujus vinum furor draconum est, et furor aspidum insanabilis, et uva eorum, uva fellis: quos Deus arguit per Prophetam: Peccata populi mei comedunt (Ose. IV, 8). Et rursum: Quare tacuistis impietatem eorum, et iniquitates vindemiastis et comedistis frumentum mendacii (Ose. X, 13)? Quia igitur proposuerant quaestionem Deo, scire cupientes quare jejunaverint et humiliaverint animas suas, et Deus non respexerit: obliti veteris historiae, cur non respexerit ad munera Cain, qui recte quidem offerebat, sed non recte dividebat cum fratre (Gen. IV), Dei non videns charitatem, dicente Scriptura: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum (Matth. XXII, 39): propterea respondit Deus, quod non jejunia reprobet, sed opera quae in jejuniis fiunt, dicens: In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestrae, ut non Dei, sed vestras faciatis voluntates, quas Paulus scribens Ephesiis reprobat: Juxta principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in filiis incredulitatis, in quibus et nos omnes conversati sumus aliquando, in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis et cogitationum. Et eramus natura filii irae, sicut et caeteri (Eph. II, 2, 3).

Quodque sequitur juxta LXX: Et omnes subjectos vobis compungitis, sive affligitis, melius Theodotio et Symmachus transtulerunt, quos nos in hoc loco secuti sumus, Et omnes debitores vestros repetitis. Ex quo ostendit, non esse absque periculo repetere pauperem qui solvendo non sit, et pallium quod pignoris loco tuleris, algenti non reddere debitori, ne clamor ejus perveniat ad Deum. Qui enim miseretur pauperis, Deo fenerat (Prov. XIX). Et econtrario qui repetit non habentem, Deo facit violentiam. Atque ut sciamus hunc sensum esse in praesenti loco, etiam in consequentibus in hoc eodem capitulo lecturi sumus: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Haud dubium quin chirographa significet: Quid enim prodest jejuniis ora pallere, et ad lites et ad jurgia jejunare, dicente Scriptura, Qui amat peccata, gaudet jurgiis (Prov. XVII, 11)? Servum autem Domini non oportet litigare, sed esse mansuetum (II Tim. II), et imitari eum qui dicit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Mat. XI, 29): ut humilitas non sit affectata, sed cordis, nec gloriam quaerens hominum, sed animae conscientiam. Jejunatis, inquit, et percutitis pugnis humilem, et alapis verberatis (I Tim. III). Unde episcopus non debet esse percussor. Quomodo enim potest libidinem refrenare, qui nec manum valet cohibere, nec linguam? Hujuscemodi jejunia et in exordio hujus prophetae Dominus arguit, dicens: Jejunium et otium, neomenias et sabbata, et alias solemnitates vestras odit anima mea (Isai. I, 13). Unde praecipitur per Joel: Sanctificate jejunium: praedicate curationem (Joel. II, 15); ut a vitiis jejunemus, et bonis operibus, curatisque peccatis, fiant sancta jejunia. Denique sequitur: Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo; ut tempore jejunii vacemus orationi: ne interior homo noster draconis vescatur carnibus, qui datus est in escam populis Aethiopum. Et haec dicimus, non quo jejunia reprobemus, per quae et Daniel vir desideriorum futura cognovit (Daniel. IX), et Ninivitae iram placaverunt Dei (Jonae III), et Elias (III

Reg. XIX) ac Moyses (Exod. XXXIV), quadraginta dierum esurie, Dei familiaritate saturati sunt, et ipse Dominus (Matth. IV) totidem diebus in solitudine jejunavit, ut nobis solemnes jejuniorum dies relinqueret: sed quo non prosit vacuum portare ventrem, et alia facere quae Deo displicent. Atque ut caetera praetermittam, exterminare facies suas, ut appareant hominibus jejunare, qui in praesenti gloriam consequentes, excludentur a regno Dei, quia receperunt mercedem suam (Matt. VI). Unde et Apostolus, si etiam corpus suum tradat martyrio, ut ardeat, sive glorietur (utrumque enim fertur in exemplaribus) absque Dei charitate (I Cor. XIII), quae est in cordis conscientia, frustra se dicit sanguinem fundere.

## (Vers. 4, 5.)

Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino?

LXX: Quid mihi jejunatis, sicut hodie ut audiatur in clamore vox vestra? Non tale jejunium elegi, et diem humiliare animam suam. Neque si incurvaveris quasi circulum collum tuum, et cilicium et cinerem substraveris: nec sic vocabitis jejunium acceptabile. Ne videatur reprobare jejunium, quod ipse praeceperat, docet quomodo jejunandum sit: immo antequam doceat quid sequantur, instruit quid debeant declinare: Ut audiatur, inquit, in excelso clamor vester. Ne ad orationem deferatis clamorem, orantes in synagogis et angulis platearum, ut ab hominibus videamini (Matth. VI), et elevetis vocem in excelsum, et cum Pharisaeo, qui Domini judicio condemnatur, vestra jejunia et opera praedicetis (Luc. XVIII). Propter quae Dominus Pharisaeorum reprobans orationem, docet discipulos quomodo orare

debeant (Matth. VI), clauso pectoris sui cubiculo, ut soli loquantur Deo, qui potest silentium cordis audire; ut clament in cordibus suis, Abba pater (Rom. VIII, 15); et non exterminent facies suas, sed lavent aqua, et caput ungant oleo. De quo et Joannes Evangelista scribit: Et vos unguentum habetis a sancto (I Joan. II, 20): quo cum uncti fuerint, etiam ipsi sancti fiant. Non enim quaerit Deus afflictionem solam et humiliationem animae per injuriam corporis: ut instar circuli torqueat corpus, et colla submittat, ac tristis incedat. Juxta illud quod in Psalmis dicitur: Afflictus sum, et incurvatus usque ad finem: tota die contristatus incedebam (Ps. XXXVII, 9). Nec ut sacco quis vestiatur, et in cinere dormiat, quod de S. David et de Achab legimus (II Reg. III; III Reg. XXI): sed ut cum istis haec faciat quae sequuntur. Alioquin et Apostolus frequenter jejunare se dicit (II Cor. VI et XI), et Dominus, cum sponsus a discipulis suis fuerit ablatus, docet eos jejunaturos (Matth. VI): et in Psalmis poenitens loquitur: Manducavi sicut cinerem panem meum, et potum meum cum fletu miscebam (Ps. CI, 10). Et cum mihi molesti essent, induebar cilicio (Ps. XXXIV, 13). Ex quo discimus haec facienda primum esse quae vult Dominus, et non alia praetereunda.

## (Vers. 6, 7.)

Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.

LXX: Nonne tale jejunium elegi, dicit Dominus: sed solve omnem colligaturam iniquitatis. Dissolve obligationes violentarum cautionum. Dimitte fractos in remissionem, et omnem scripturam iniquam conscinde. Frange esurienti panem tuum, et pauperes sine tecto

induc in domum tuam. Si videris nudum, operi, et domesticos seminis tui ne despexeris. Postquam docuit quale jejunium reprobet, ostendit quale libenter accipiat. Dissolve, inquit, colligationes impietatis: solve fasciculos deprimentes: sive ut LXX manifestius transtulerunt, obligationes violentarum cautionum, quas nostri, verbi ambiguitate decepti, id est, --- commutationes pro chirographis interpretati sunt. Significat autem chartarum fasciculos, in quibus feneratorum calumniae continentur, et opprimuntur pauperes aere alieno, quae in cunctis urbibus seditionis causa vel maxima est. Unde et Romanus populus vicinos occupat montes, et Tabulae novae, quas Graeci appellant χρέων ἀποκοπάς. Non ergo praecipit Propheta ne exigat unusquisque quod debitum est, maxime quod juste dedit et juste repetit: alioquin Tribunitiae esset seditionis assertor. Sed ubi iniqua est cautio, ubi opprimuntur pauperes calumnia: ibi fasciculi cautionum, et omnia iniquitatis vincula rumpenda sunt. Vel certe hoc dicendum, quia de jejuniis sermo est, et jejunium afflictionem atque humiliationem habet animae: afflictio autem corporis peccatorum indulgentiam deprecatur. Docet Scriptura divina, ut dimittamus debitoribus nostris, ut et Pater coelestis dimittat nobis debita nostra (Marc. XI). Vetus narrat historia, anno remissionis septimo, vel quinquagesimo, qui est verus Jubilaeus, omnes possessiones redire ad dominos, et reddi servis pristinam libertatem, cunctaque nomina, quae vulgo appellant cautiones, irrita fieri (Levit. XXV et XXVII). Si autem hoc veteri Lege (Exod. XXI) praecipitur: quanto magis in Evangelio, ubi (Matth. V) omnia quae bona sunt duplicantur: et nequaquam oculum pro oculo, dentem pro dente jubemur eruere: sed verberanti praebere maxillam! Atque ut sciamus illud quod supra diximus: Omnes debitores vestros repetitis, de creditoribus scribi, de debitoribus jungitur manifestius: Dimitte eos qui confracti sunt liberos, hoc est, qui paupertate sunt fracti, quos afflixit inopia, ne liberos sinas mendicare. Et omne onus quo deprimuntur, rumpe.

Pro quo manifestius Septuaginta transtulerunt, et omnem scripturam iniquam conscinde: quod Symmachus transtulit: Et omnem cautionem falsam disrumpe. Sed poterat fieri, ut aliquis diceret: Non habeo debitores, quid facere debeo, ut suscipiatur jejunium meum? Sequitur: Frange esurienti panem tuum. Non plures panes, ne de paupertate causeris, sed unum panem. Nec ipsum totum, sed partem panis: quam si non jejunares comesurus eras; ut jejunium tuum non sit lucrum marsupii, sed saturitas animae. Pulchreque addidit tuum, ne de rapina facias eleemosynam: Redemptio enim animae viri, propriae divitiae (Prov. XIII, 6). Et in alio loco: Honora Dominum de tuis justis laboribus (Prov. III, 9). Certe si panem non habes, et esurientium plurima multitudo est, praebe de quo nullum damnum pateris. In quo nulla dispendia sunt, pauperes absque tecto, induc in domum tuam. Sive ut in Hebraico habetur, in domum, ut si tuam non habes, inducas in hospitiolum, quod vel mercede conductum, vel beneficio possides. Si videris nudum, operi. Quod et Dominus in Evangelio loquebatur: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti (Luc. III, 11). Non enim unam jussit scindi et dividi, quod multi popularis aurae causa faciunt: sed alteram non servari, augens praecepta justitiae, ut etiam calicem aquae frigidae porrectum habere praemia diceret. Et carnem ait, tuam ne despexeris. Omnis enim homo caro nostra est. Et juxta Evangelicam parabolam, ejus qui de Jerusalem descendebat Jericho, et latronibus vulneratus est, ille proximus appellatur qui benefecerit (Luc. X). Vel certe juxta Septuaginta qui dixerunt: Et domesticos seminis tui ne despicias, domesticos seminis illos intelligamus, de quibus et Apostolus docet, omnibus faciendam esse eleemosynam, maxime autem domesticis fidei (Galat. VI). Illi enim caro nostra sunt, et semen nostrum, qui de uno nobiscum parente generantur. Ad quos extendebat et Salvator manum, dicens: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei (Marc. III, 34, 35). Atque ut sciamus unum esse Dominum, et, novi et veteris

Instrumenti, eadem et Dominus loquitur in Evangelio de his qui in die judicii a dextris staturi sunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum praeparatum vobis a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare. Sitivi et dedistis mihi bibere. Infirmus eram, et in carcere, et venistis ad me. Peregrinus, et duxistis me in domum vestram. Et nudus, et vestistis me (Matth. XXV, 34 seqq.). Illisque humilitate dicentibus, se nihil fecisse Domino Salvatori, respondit: Quamdiu fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis. Juxta tropologiam haec possumus dicere: Qui jejunat ab omnibus malis, et vult suum jejunium respici, non solum declinet a malo, sed et faciat bonum, ut solvat omne vinculum iniquitatis, quo simplices quique credentium, haereticorum fraudibus colligati sunt. Et --- obligationes violentorum tractatuum, quas et in psalmo Propheta demonstrat, dicens: Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem (Ps. CXXIV, 5). Omnes enim qui haereticorum vinculis alligantur, declinant a Domino; et quasi bos ductus ad victimam; et eligunt atque commutant pro veritate mendacium. Istiusmodi igitur homines, qui sunt fracti judicio, dimittat vir Ecclesiasticus atque dissolvat; et omnem scripturam haereticorum, de quibus hic idem Propheta dicit: Vae qui scribunt iniquitatem: scribentes enim scribunt malitiam, rapientes judicium pauperum populi mei (Isai. X, 1, 2), solvat atque disrumpat, ut nequaquam laqueis suis simplices quosque teneant irretitos. Et cum hoc fecerit, frangat doctrinae Ecclesiasticae esurientibus panem suum, quod fecit et Dominus, fractos panes Apostolis tribuens, quos eis in septem sportis et duodecim cophinis, nequaquam integros sicut habebantur in Lege, sed comminutos atque confractos in Evangelio dereliquit, ut haberent quod pauperibus largirentur (Matth. XV). Quos videris non habentes calorem fidei, sed extra Ecclesiam frigoribus infidelitatis algentes, inopes atque peregrinos, induc, ait, in domum Ecclesiae, et operi incorruptionis pallio; ut vestiti Christi tunica, nequaquam maneant in sepulcris,

quod de eo legimus, qui possessus a daemonum legione, nudus habitabat in memoriis mortuorum. Cumque, inquit, haec feceris et liberalitas tua ad omnes exposita fuerit, specialiter ne despicias domesticos fidei.

## (Vers. 8, 9.)

Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua: et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.

LXX: Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et sanitates tuae cito orientur, et praeibit in conspectu tuo justitia tua, et gloria Dei circumdabit te. Tunc clamabis, et Deus exaudiet te. Adhuc loquente te, dicet. Ecce adsum. Quando illa non feceris quae praeteritus sermo narravit, et ista feceris de quibus nunc diximus: tunc acceptabile erit jejunium tuum, et erumpet matutinum lumen tuum; sol videlicet justitiae, de quo Malachias propheta ex persona Dei Patris loquitur: Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiae, et sanitas in pennis ejus (Malach. IV, 2). Qui ibi sol, hic lux dicitur. Sicut enim matutina lux solvit tenebras: ita lumen scientiae et veritatis omnes errores fugat. Et sanitates, inquit, tuae cito orientur. Pro quo Aquila, verbum de verbo exprimens, posuit: Et cicatrix vulneris tui cito obducetur; ut scilicet vulnera peccatorum nostrorum ad ortum solis justitiae, cito obducta cicatrice, claudantur. Pro eo quod Septuaginta transtulerunt --- id est, sanitates tuae, Latini interpretes ducti nominis similitudine --- id est, vestimenta posuerunt. Unde multi translationis falsitate decepti, ad resurrectionem corporis comprobandam, hoc utuntur testimonio, quo scilicet vestimentum animae corpus accipi velint, quod in die resurrectionis oriatur. Et antecedet, inquit, in conspectu tuo justitia tua (Gen. XXX, 33, sec. LXX). Secundum illud quod loquitur Jacob: Exaudiet me cras justitia mea; et implebitur quod scriptum est: Ecce homo, et opera ejus. Et

gloria Domini circumdabit te, quasi veste pulcherrima, ut glorificeris apud Deum et apud homines. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum, non voce, sed opere; non responsione, sed beneficiis. Quod juxta litteram et in Evangelio comprobatur, quando dicente ad Dominum leproso, Si vis, potes me mundare, respondit Dominus dicens: Volo, mundare.

## (Vers. 10.)

Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris digitum extendere, et loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris: tunc [Vulg. abest tunc] orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies.

LXX: Si abstuleris a te colligationem, et ordinationem et verbum murmurationis, et dederis esurienti panem tuum ex animo tuo, et animam humiliatam saturaveris: tunc orietur in tenebris lumen tuum, et tenebrae tuae erunt sicut meridies. Verbum Hebraicum MOTA quod in Jeremia torques ferrea interpretatur (Jerem. XVIII), in praesenti capitulo bis legitur. In eo enim loco ubi supra juxta Septuaginta diximus: Dissolve obligationes violentarum commutationum, pro uno verbo MOTA sciamus eos posuisse violentas cautiones, pro quibus Aquila errorem, Symmachus declinationem, Theodotio κλοιὸν, id est, torquem, transtulerunt. Rursum in praesenti loco ubi nos vertimus: Si abstuleris de medio tui catenam, et pro catena Septuaginta --- id est, colligationem, sive vinculum transtulerunt; Aquila, sicut supra, errorem, interpretatus est; Symmachus in Theodotionis scita concedens, torquem posuit. Hoc de interpretationis varietate sit dictum. Alioquin sensus sic cum superioribus jungitur: Orietur tibi matutina lux, et sanitates tuae cito orientur: et praecedet te justitia tua, et gloria Domini coronabit te. Deprecantemque statim exaudiet, et se ostendet esse praesentem. Ita dumtaxat,

si ad superiora opera haec quoque addideris, ut tollas de te obligationem et catenam qua tua anima colligata est. De qua et Petrus loquebatur ad Simonem: In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse (Act. VIII, 23). Et Paulus dolebat, obligatam cernens idololatriae Atheniensium civitatem. Funibus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur (Prov. V). De quibus animae vinculis et David precabatur in psalmo: Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo (Ps. XVIII, 13). Difficile reperitur qui his non stringatur catenis. Raro invenitur anima quae hanc gravissimam torquem non habeat suo collo circumdatam, ad terrena se opera deprimentem, ut nequaquam coelum, sed terram aspiciat. Quod et de Evangelica refertur muliere, quam vinxerat Satanas per annos decem et octo, ut incurvata, coelestia non videret (Luc. XIII). Si ergo, ait, tuleris de medio cordis tui hanc catenam, et istiusmodi vincula dissipaveris, et --- pro qua tres alii interpretes voce consona, extentum digitum transtulerunt: ut non solum malum ipse non cogites, et non facias, sed ne detrahas quidem proximo tuo, et singulos quasi digito notes, et loquaris quod non prodest animae tuae, non tua mala, sed aliorum errores considerans: accipies quae sequens sermo subnectit. Plerique nostrorum --- id est, ordinationem clericorum, quae non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus (ne scilicet, ut in quibusdam risimus, vocis imprecatio clandestina clericos ordinet nescientes), sic intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum: Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis (I Tim. V, 22). Non est enim peccatum leve, mittere margaritas ante porcos, et dare sanctum canibus (Matth. VII): et ordinationem clericatus, nequaquam sanctis, et in lege Dei doctissimis, sed asseclis suis tribuere, et vilium officiorum ministris: quodque his dedecorosius est, mulierculárum precibus. In quo consideranda loquentis in se Christi Apostoli sapientia, qui ut ordinationis periculum demonstraret,

junxit tormenta peccantium: Neque communicaveris peccatis alienis. Sicut ergo in ordinationibus malorum, particeps est peccatorum qui tales constituit: sic in ordinatione sanctorum, particeps est eorum justitiae, qui bonos elegit. Sequitur: Et verbum murmurationis, subauditur, ἀπὸ κοινοῦ, si abstuleris a te. Verbum autem murmurationis est, quando contra nos loquitur Deus: Desinat a me murmuratio populi hujus, et non morietur; nostraque peccata referimus ad Deum, ad excusandas excusationes in peccatis, et dicimus: Corporis me superavit ardor, adolescentiae incentiva vicerunt, a Deo talis creatus sum: paupertas coegit ad furtum. Itaque si non fecerimus ista quae dicta sunt, et fecerimus ea quae dicenda sunt, ut esurienti, non sicut supra, demus panem nostrum, sed animam nostram, ut eum in quibuscumque possumus adjuvemus, et non quasi ex tristitia et necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis, quam dantes beneficium: Hilarem enim datorem diligit Deus (II Cor. IX, 7), ut animam esurientem sive afflictam non refocillemus ex parte, sed saturemus: et doleamus cum dolentibus, lugeamusque cum lugentibus (Rom. XII), tunc orietur in tenebris lux nostra, ille qui dicit: Ego lux veni in mundum: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat: sed habeat lucem vitae (Joan. XII, 46). Lucerna enim corporis nostri est oculus: si simplex fuerit, totum corpus nostrum erit lucidum. Si autem qui lux esse deberet, versus fuerit in tenebras; tunc omne corpus tenebrosum erit, et dicetur nobis: Si lux quae in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae sunt (Matth. VI, 23)! Consideremus quantis virtutibus perveniamus ad lucem Dei, ut tenebrae vertantur in meridiem, dicamusque cum sponsa: Ubi pascis, ubi cubas, in meridie (Cant. I, 6)?

## (Vers. 11.)

Et requiem dabit tibi Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit. Et eris

quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquae.

LXX: Et erit Deus tuus tecum semper: et impleberis sicut desiderat anima tua, et ossa tua pinguescent. Et erunt sicut hortus ebrius: et sicut fons, cui non deficiet aqua. Quod in Alexandrinis exemplaribus in principio hujus capituli additum est: Et adhuc in te erit laus mea semper; et in fine et ossa tua quasi herba orientur, et pinguescent, et haereditate possidebunt in generationem et generationes, in Hebraico non habetur, sed ne in Septuaginta quidem emendatis et veris exemplaribus: unde obelo praenotandum est. Cum tenebrae, inquit, pectoris tui, orta luce, fuerint dissolutae, et pro nocte palpabili meridies fuerit exorta, tunc semper habitatorem habebis Deum, qui impleat splendoribus animam tuam. De quibus in psalmo legitur: Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te (Ps. CIX, 4). Sive saturaberis cunctis quae desiderat anima tua, quia et ipse saturasti animam esurientem, et dicere poteris: Benedic, anima mea, Domino, qui implet in bonis desiderium tuum (Ps. I, 5); et ossa tua liberabuntur de interitu et igne perpetuo. Sive impinguescent, ut pristinam crassitudinem recipiant, quae fame sermonis Domini attenuata fuerant. Quod quidem et juxta litteram de resurrectione eorum quae casura sunt corporum, intelligere possumus, et de virtutibus animae, quas significans sanctus loquitur in psalmo, Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi (Ps. XXXIV, 10)? De quibus et in Proverbiis scriptum est, Fama bona impinguat ossa (Prov. XV, 30). Et quibus praemia promittuntur, Sanitas erit corpori tuo, et curatio ossibus tuis (Prov. XVI, 24). De quibus rursum scriptum est, Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur (Ps. XXXIII, 21). Econtrario, qui peccator est, et animae robur perdidit atque virtutem, plangit, et loquitur: Dissipata sunt ossa nostra secus infernum (Ps. CXL, 7). Neque enim possumus credere quod ossa peccatorum

non in inferno sint, sed juxta infernum. Et fama bona impinguat ossa (Prov. XV, 30), quae ad corporis saginam non pertinet. Sequitur: Et eris, sive erit, id est, aut tu, aut anima tua, sicut hortus irriguus: de quo scriptum est: Fons egrediebatur, et irrigabat omnem faciem paradisi (Genes. II, 6), pro quo in Hebraico hortus legitur. Quem fontem non alium possumus dicere, nisi eum cui dicitur, Apud te est fons vitae (Ps. XXXV, 10): qui indesinenter rigat Ecclesiam suam, et cunctorum corda credentium.

## (Vers. 12.)

Et aedificabuntur in te deserta saeculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis: et vocaberis in te aedificator sepium, avertens semitas in quietem.

LXX: Et aedificabuntur tibi deserta a saeculo et erunt fundamenta tua sempiterna in generationes et generationes: et vocaberis aedificator maceriae, et semitas in medio quiescere facies. Non solum, inquit, orietur in tenebris lumen tuum, et tenebrae tuae erunt quasi meridies, et dabit tibi Dominus requiem semper, et eris quasi hortus irriguus, et caetera; sed aedificabuntur in te quae longo tempore deserta fuerant; et in multis generationibus permansura aedium tuarum fundamenta jacientur: ita ut vel tu ipse voceris aedificator sepium atque maceriarum, vel oriatur in te qui sit aedificator sepium, et avertat semitas in quietem, sive juxta Septuaginta, calles in medio faciat conquiescere. Haec Judaei et amici tantum occidentis litterae, ad instaurationem referunt urbium Palaestinae. Et vel facta sub Zorobabel et Ezra, et Neemia, vel in ultimo tempore futura contendunt: et ad instaurationem Jerusalem et in circuitu civitatum altissima fundamenta jacienda, et tam excelsos muros aedificandos, ut nullus hostium possit intrare, et omnium in eas inimicorum prohibeatur ingressus. Nos autem sequentes coeptae explanationis

ordinem, quae deserta fuerant in Judaeis, dicimus aedificari in Ecclesia, non ad breve tempus, sed in perpetuum, et fundamenta illius ex utroque populo, id est, in duabus generationibus suscitanda. Unde dicebat Apostolus: Quasi sapiens architectus fundamentum posui: alius superaedificat: unusquisque autem videat quid superaedificat (I Cor. III, 10); et in alio loco: Dei agricultura, Dei aedificatio sumus; et iterum: Aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum (Ephes. II, 20); et vocandam eam, sive cum qui natus est in ea, aedificatorem sepium. De quo in psalmo legimus: Homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus (Ps. LXXXVI, 5). Quas sepes atque macerias, hoc enim Graeco sermone significat --- agro et vineis circumdari Scriptura commemorat: Vineam de Aegypto transtulisti: ejecisti gentes, et plantasti eam; et post paululum: Quare destruxisti maceriam ejus: et vindemiant eam omnes qui transeunt viam (Ps. LXXXIX, 9 et 13)? Et in hoc eodem Propheta: Vinea facta est dilecto; quam pulchro sermone describens, intulit: Aedificavi turrem, et maceria circumdedi (Eccles. II, 4). Quam qui destruxit, juxta Ecclesiasten, mordebit eum coluber. Quae ideo circumdata est, ut omnium bestiarum in vineam Dei prohibeatur accessus. Iste est autem coluber tortuosus, qui decepit Evam in paradiso, quae quia Dei praecepta destruxerat, propterea morsibus ejus patuit, et audivit a Domino: Tu observabis caput ejus; et ille observabit tibi calcaneum (Genes. III, 15). In eo loco, ubi nos juxta Septuaginta interpretati sumus, ne quid innovare videremur, quia vulgatum est testimonium, et vocaberis aedificator sepium, in Hebraico legitur, et vocabitur in te, GODER PHERES quod Aquila interpretatus est --- quod nos possumus juxta sensum dicere, qui se opponit Dei iracundiae saevienti. Denique Symmachus transtulit, murum opponens caedenti (I Reg. VII), qualis fuit S. Moyses et Aaron, et Samuel, qui irae Domini restiterunt, et quasi aedificato muro, indignationi ejus posuerunt terminum. Quod et S. Jeremiae dicitur: Ne occurat

Domino, ne irae ejus velit resistere, et indignationem ita precibus quasi quodam muro intercludere (Jerem. VII): et S. Moysi, quasi teneretur ab eo Dominus: Dimitte me, inquit, et percutiam populum istum (Exod. XXXII, 10). Istiusmodi ergo aedificator maceriarum murorumque et sepium, convertet semitas in quietem, ut nequaquam Dei ira desaeviat, sed placatus sit eis Dominus, et omnes indignationis semitae conquiescant.

## (Vers. 13.)

Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo: et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum dum non facit vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem.

LXX: Si averteris in sabbatis pedem tuum: ut non facias voluntates tuas in die sancta. Et vocabis sabbata delicata sancta Domino: non tolles pedem tuum ad opus, neque loqueris verbum ÷ in ira de ore tuo **. Cui supra dixerat: Nonne hoc est jejunium magis quod elegi, dissolve colligationem impietatis, solve fasciculos deprimentes, et caetera: etiam nunc praemia repromittit, si facere voluerit quae sequuntur (Exod. XX); ut hic scilicet cohibeat pedem suum in sabbatis, nec faciat voluntates suas, et diem sanctum Domini suis commaculet voluntatibus [Al. voluptatibus]. Lege praeceptum est, ne in sabbatis opus servile faciamus, ne accendamus ignem, ut in uno sedeamus loco, ut illa tantum faciamus opera quae ad animae salutem pertinent. Quod si juxta litteram accipiamus, penitus impleri non potest. Quis enim potest hoc facere, ut tota die ac nocte sedens in sabbato de uno loco non recedat, immo ne leviter quidem se commoveat; quod si fecerit, transgressor legis sit? Ex uno igitur mandato, quod juxta litteram impossibile est, et caetera cogimur spiritualiter intelligere, ne faciamus servile opus, et perdamus animae libertatem; qui enim facit peccatum,

servus est peccati (Joan. VIII): ne onus portemus in sabbato, quale portabat ille qui dicit: Iniquitates meae elevatae sunt supra caput meum: quasi onus grave aggravatae sunt super me (Ps. XXXVII, 5). Ne iniquitas quae sedet super talentum plumbi, in nobis habeat potestatem: ne nos voluptas corporis et libido succendant (Zach. V): Omnes enim adulterantes quasi clibanus corda eorum (Osee VII); et diaboli jacula ignita sunt, ut sagittent in obscuro rectos corde (Ps. X). Praecipitur quoque nobis ut arrepto nobis aratro, non respiciamus post tergum: ut tectorum altitudinem conscendentes, nequaquam ad tollenda saeculi vestimenta velimus descendere (Luc. IX); sed ut audiamus cum Moyse, Tu vero hic sta mecum (Exod. XXXIV, 2); et sedeamus cum Domino, lassi in via hujus saeculi, super puteum Samaritanae et conversionem errantiumque salutem sitientes (Joan. IV), ut audiamus Apostolum commonentem, State firmi et immobiles (I Cor. XV, 58), ne patiamur illud quod Judas passus est proditor, qui perdidit locum ministerii sui, et transgressor effectus est, illiusque semper sententiae recordemur: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris (Eccles. X, 4). Qui sic quiescit in sabbato, lavat inter innocentes manus suas, nec movet pedes, ut suas faciat voluntates: iste celebrat sabbata Domini delicata. Qui sabbatismus, juxta Epistolam quae ad Hebraeos scribitur, repromittitur nobis in coelestibus, et gloria praeparatur (Hebr. IV): ut dum non faciamus vias nostras in sabbato, nec invenitur voluntas nostra, ut loquamur sermonem, quo scilicet nec opere, nec sermone peccemus. Alioquin si haec tantum prohibentur in sabbato, ergo in aliis sex diebus libertas nobis tribuitur delinquendi. Quod si stultum est credere, superest ut sabbatum quod interpretatur requies, omni tempore sanctificandum sit a fidelibus, dum non carnis, sed animae faciunt voluntates. Quodque jungitur, juxta Septuaginta, in ira ex ore tuo, in Hebraico non habetur. Ad hoc sabbatum, omni festivitate celebrandum, Salvator

nos provocat in Evangelio, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vobis dabo requiem (Matth. XI, 28); hoc enim significat --- ut scilicet peccatorum onera deponentes, sabbatizemus in Christo, et dicamus: Statuit supra petram pedes meos (Ps. XXXIX, 3), illudque vitemus quod sanctus pene sustinuisse se dicit, Mei vero pene moti sunt pedes (Ps. LXXII, 2).

## (Vers. 14.)

Tunc delectaberis super Domino; et sustollam te super altitudines terrae, et cibabo te haereditate Jacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

LXX: Et eris confidens super Dominum: et elevabit te super bona terrae, et cibabit te haereditate Jacob patris tui. Os enim Domini locutum est. Postquam vocaveris sabbata delicata, et non moveris in sabbato pedem tuum ad opus servile faciendum, neque verbum locutus fueris, id est, semper tacueris, et impleveris quod praeceptum est: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum (Ps. XXXIII, 14): tunc delectaberis in Domino, et videbis in te esse completum: Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (Ps. XXXVI, 4). Sive fiduciam habebis in Domino, juxta illud quod scriptum est: Qui confidit in Domino, beatus est. Et in Jeremia: Benedictus homo qui confidit in Domino, et erit Dominus spes ejus (Jerem. XVII, 7). Et alibi: Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine (Ps. CXVII, 8). Et elevabit te Dominus atque sustollet super altitudines ac bona terrae. Terra enim mitium, terraque viventium non est deorsum, sed sursum est. Denique ad Lot de Sodomae et Gomorrae valle fugientem dicitur: In monte salvum te fac (Genes. XIX). Ad quem postquam pervenit, ortus est ei sol in Segor. De hac terra dicebat Dominus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Matth. V, 4): et multa alia quae crebro usurpavimus, quorum illud est: Honora patrem tuum, et matrem tuam,

et eris longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi (Exod. XX, 12). Quod juxta litteram penitus stare non potest. Multi enim honorant parentes, et cito moriuntur; et alii parricidae longo vivunt tempore. Ut autem certius noverimus hanc terram esse in sublimibus, tricesimi sexti psalmi breviter recordemur, in quo scriptum est: Mites possidebunt terram, et epulabuntur in multitudine pacis. Post quae infertur: Exspecta Dominum, et custodi vias ejus: et elevabit te, ut possideas terram (Ps. XXXVI, 11): de qua in alio loco canitur, Justi possidebunt terram, et habitabunt in saeculum saeculi super eam (Ibid., 34). Quod et ipsum impossibile est. Si enim terra pertransibit, haec utique quam incolimus, quomodo in saeculum saeculi justi habitabunt super eam? Ex quo discimus esse terram, quae in sublimibus sita est. Post quae infertur: Et cibabo, sive, cibabit te Dominus haereditate Jacob patris tui. Sicut enim qui fidem habuerit Abraham, appellatur filius Abraham: sic qui supplantat vitia atque peccata, vocatur filius Jacob. Et cujus quis virtutis imitator est, illius appellatur et filius. Bona autem terrae, quae in excelsis sita est, quibus saturatur filius Jacob, illa accipienda sunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (I Cor. II). De quibus in Epistola scriptum est ad Hebraeos: Qui enim haec dicunt, ostendunt quod patriam quaerant: et siquidem illam quaererent, de qua egressi erant, habebant tempus ut reverterentur ad eam. Nunc autem meliorem desiderant patriam, hoc est, coelestem Jerusalem (Hebr. XI, 14 et seqq.). Ex quo discimus, mille annorum fabulam, in qua rursum nuptiae promittuntur, et cibi, et terrenae vitae conversatio, abjiciendam. Si enim in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt similes Angelorum; quia sunt filii resurrectionis (Matth. XXII); et de ventre ac cibis Apostolus loquitur: Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et illam destruet (I Cor. VI, 13), quomodo rursum incorrupto et spirituali immortalique corpore, carnis pristinae mortalis atque corruptae vitia

quaeremus? Et haec dicimus, non quo substantiam glorificati corporis denegemus, sed quo opera pristina in his qui Angelorum sunt similes, penitus auferamus. Alioquin et in isto adhuc corpore per jejunia et continentiam, et perpetuam castitatem et charitatem, imitamur virtutes Angelicas, et tamen substantiam corporum non amittimus. Quae ut omnia futura credamus, sciamus a Deo esse promissa, cujus os locutum est: ut quomodo in manibus opus, et in pedibus incessum, et in ventre generationem, et in auribus oculisque auditum atque intuitum: sic in ore sermonem Dei intelligamus.

## (Cap. LIX.---Vers. 1, 2.)

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat; sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.

LXX: Numquid non potest manus Domini salvos facere: aut aggravata est auris ejus, ut non exaudiat? Sed peccata vestra separant inter vos et Deum: et propter peccata vestra avertit faciem ejus a vobis, ut non misereatur. Poteram quae nunc facturum esse me dixi: Eris confidens in Domino, et elevabit te ad bona terrae, et cibabit te haereditate Jacob patris tui, et ante complere. Neque enim abbreviata est manus mea, atque contracta, ut eam ad liberandum populum meum extendere nequeam: aut surdas aures habeo, ut exaudire non possim. Ex quo ostenditur aures Domini, quae justos audiunt, et non audiunt peccatores, nequaquam esse nostrarum aurium similes, quae emissam vocem sive justitiae, sive injustitiae, aequaliter audiunt; sed peccata, inquit, vestra, quasi quidam in medio murus oppositus, vos et Deum dividunt. Unde et Salvator in passione sua fecit utrumque unum (Ephes. II), et medium parietem maceriae solvens, inimicitiam in sua carne destruxit, ut

quos paries diviserat peccatorum, Christi sanguis conjungeret. Qui aperuit paradisi januam, quae multo tempore clausa fuerat (Genes. III), et igneum gladium suo cruore restinxit, ut audiret latro: Hodie mecum eris in paradiso (Luc. XXIII, 43). Quodque sequitur: Et propter peccata vestra avertit faciem a vobis: ut non audiret, sive ut non misereretur, hoc ostendit, quod fetorem peccatorum et iniquitates eorum ferre non potuerit, sed averterit faciem suam, ne eorum turpitudinem cerneret, et statim percutere cogeretur. Unde peccator Domini vultum videre desiderans, dicit in psalmo: Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam a me (Ps. XII, 1)? Et alibi: Ostende faciem tuam, et salvi erimus (Ps. LXXIX, 4).

## (Vers. 3, 4.)

Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates.

LXX: Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, et digiti vestri peccatis. Labia vestra polluta sunt iniquitate, et lingua vestra injustitiam meditatur. Nullus loquitur justa: neque est justum judicium. Confidunt in vanis, et loquuntur vacua, iniquitates atque peccata. Quae supra generaliter nominavit, nunc exponit in partibus. Et considerandum quod nequaquam eis objiciat idololatriam qua Isaiae temporibus tenebantur, sed effusionem sanguinis, de quo ante jam dixerat: Justus perit, et non est qui recogitet. Et viri justi tolluntur, et nemo corde intelligit. A facie enim iniquitatis sublatus est justus: erit in pace sepultura ejus, tolleturque de medio (Isai. LVII, 1, 2). Et quamquam ipsi manus non miserint in Dominum Salvatorem, tamen consona impietatis voce clamantes: Sanguis ejus super nos et super filios nostros (Matth.

XXVII, 25), mortis ejus rei sunt, et habent pollutas manus. De quibus idem Propheta testatur, dicens: Si levaveritis manus vestras ad me, non exaudiam. Manus vestrae sanguine plenae sunt (Isai. I, 15). Labia quoque eorum et lingua loquuntur iniquitatem atque mendacium, ut pro Christo sibi Antichristum repromittant, nec sit ullus in populo qui invocet justitiam, et judicet veritatem, sive ut in Hebraeo babetur, fidem, quod scilicet credat in Christo; sed confidunt in nihili, et loquuntur vanitates. Unde Apostolus praecipit, ne attendamus Judaicas fabulas, et mandata hominum aversantium se a veritate (Tit. I). Vere enim confidunt in nihili, et sequuntur vanitates, in quo impletur Domini vaticinium: Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis (Joan. V, 43).

## (Vers. 5, 6.)

Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem: et ova aspidum ruperunt, et telas araneae texuerunt. Qui comederit de ovis eorum, morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum. Telae eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.

LXX: Quia parturiunt dolorem, et generant iniquitatem. Ova aspidum fregerunt: et telam araneae texuerunt. Et qui de ovis eorum comedere voluerit, frangens reperiet putridum, et in ipso regulum: tela eorum non erit in vestimentum, nec operientur operibus suis. Qui Antichristi praestolantur adventum, nec possunt dicere: A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus et peperimus, spiritum salutis tuae fecimus super terram (Isai. XXVI, 18), recte concipiunt dolorem, et parturiunt iniquitatem: ut quem multo labore perquirunt, in iniquitate suscipiant; de quorum scriptum est patre: Concepit dolorem, et peperit iniquitatem (Ps. VII, 15). Isti frangunt atque disrumpunt ova aspidum, ut earum venena in sua mente suscipiant, quibus in Evangelio dicitur:

Serpentes, genimina viperarum (Matth. III, 7). Pulchreque ova posuit aspidum atque serpentum, quae ova prius generare dicuntur. Et quia non solum malitiae venena in cordibus suis retinent, sed in lege Domini die ac nocte meditantur, aniles fabulas mussitantes, propterea dicitur: Et telas araneae texunt: quibus muscas et culices et parva capiunt animantia; ad quas cum forte quid venerit, quasi per aerem vacuum transvolat. Qui comederit, inquit, de ovis eorum, morietur, hoc est, qui consiliis eorum acquieverit, quomodo Abel acquievit Cain dicenti, Transeamus in campum (Genes. IV, 8), statim interficietur: sive ut Septuaginta transtulerunt: Qui voluerit de ovis eorum comedere, conterens inveniet putridum, et in ipso regulum. Qui enim prima fronte deceptus, ova putaverit gallinarum et aliarum volucrum, quarum esus innoxius est: si fregerit antequam comedat, statim putorem teterrimum fetoremque cognoscet, et quod confotum est, inveniet regulum. Sive juxta Symmachum et Theodotionem, aspidem. Aquila autem viperam posuit; pro qua in Hebraico legitur EPHEE. Qui igitur audiens traditiones Judaicas, ad escas se mille annorum voluerit praeparare, et repromissionum deliciis irretitus, manum ad ovum extendere: si antequam comedat, hoc est verbis mortiferis acquiescat, voluerit prius considerare quod dicitur, et singulos sermones discutere, eorumque tractare rationem, statim in ipsis reperiet Antichristum praeparari. Ergo juxta Hebraicum, qui comederit de ovis eorum, morietur. Qui autem, juxta Septuaginta, frangere ante voluerit, et diligentius intueri ac videre quid latitet, reperiet fetorem teterrimum, et principem omnium serpentem diabolum, in eorum latitare traditionibus. Et quia supra dixerat: Telas araneae texunt, exponit quod telarum istarum textura non proficiat. Labor, inquit, eorum omnisque doctrina non Christi efficit vestimentum, nec pallium quo nuditas animae protegatur, sed casso labore desudant, dicente hoc eodem Propheta: Populus hic labiis me honorat; cor vero eorum longe est a me. Frustra autem me colunt, docentes doctrinas et praecepta hominum

(Isai. XXIX, 13): quae sequentes, negligunt legem Dei. Et ut sciamus in tela opera demonstrari, intulit: Neque operientur operibus suis. Quidam locum istum sic edisserunt: Ova aspidum sciderunt, sive ruperunt, id est, mordentes Prophetarum reliquere sermones omnes, et blanda sibi pseudoprophetarum eloquia texuerunt: de quibus qui comederit, a serpente ferietur; et intelliget nihil sibi verba profuisse mendacii.

## (Vers. 7, 8.)

Opera eorum opera inutilia: et opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt: et festinant ut effundant sanguinem innocentem. Cogitationes eorum, cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt: et non est judicium in gressibus eorum. Semitae eorum incurvatae sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.

LXX: Opera enim eorum opera iniquitatis: et pedes eorum ad malitiam currunt. Veloces ad effundendum sanguinem innoxium: et cogitationes eorum, cogitationes stultorum. Contritio et miseria in viis eorum: et viam pacis non cognoverunt: et non est judicium in viis eorum. Semitae enim eorum perversae, quas transeunt, et nesciunt pacem. Ideo non operiuntur operibus suis, quia opera eorum opera iniquitatis sunt, quae Apostolus infructuosa cognominat, id est fructus non habentia (Ephes. V). Et pedes eorum currunt ad malum, et festinant ad effundendum sanguinem innoxium (Prov. I). Hanc enim et in Prophetarum occisione habuerunt consuetudinem. Ad quos Stephanus loquebatur: Quem enim Prophetarum non sunt persecuti patres vestri (Act. VII, 52)? Et Dominus in Evangelio: Jerusalem, Jerusalem quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt (Matth. XXIII, 37); et iterum: Veniet super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram: a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem

occidistis inter Templum et altare (Ibid., 35). Unde et supra ad eos dicitur: Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine: et lingua vestra loquitur iniquitatem (Isai. I, 15). Et per hanc meditationem crudelitatis atque blasphemiae, ad necem Domini pervenerunt. Quomodo et Judas per avaritiae viam venit ad homicidium, immo sacrilegium avaritiae copulatum. Quodque sequitur: Cogitationes eorum cogitationes stultorum: contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt. Et supra: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, Apostolus posuit ad Romanos (Cap. III): 707 quod multi ignorantes, de tertio decimo psalmo sumptum putant, qui versus in editione Vulgata additi sunt, et in Hebraico non habentur. De quo plenius in exordio hujus voluminis diximus. Recte autem viam pacis ignoraverunt, qui auctorem ejus suscipere noluerunt. Ipse est enim pax nostra, qui loquitur ad Apostolos: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (Joan. XIV, 27). Et ad Jerusalem: Si scires quae ad pacem sunt tibi, quoniam venient dies super te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et obsidebunt te, et filios tuos allident ad terram (Luc. XIX, 42, 43). Qui autem pacem non susceperint, consequenter nec judicium habent in viis suis. Illum de quo supra dictum est: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus quem dilexit anima mea, judicium gentibus proferet (Isai. XLII, 1). Sequitur: Viae eorum perversae, non natura, sed propria voluntate. Quidquid enim pervertitur atque curvatur, de recto torquetur in pravum. Omnis doctrina Pharisaeorum subversio veritatis est, per quam qui ambulaverit, non solum non invenit pacem; sed nec cognoscit quidem eam, ut sciat quid quaerere debeat.

## (Vers. 9 seqq.)

Propter hoc elongatum est judicium a nobis: et non apprehendet nos justitia. Exspectavimus lucem, et ecce tenebrae: splendorem, et in tenebris ambulavimus.

Palpavimus sicut caeci parietem: et quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie, quasi in tenebris: in caliginosis quasi mortui. Rugiemus quasi ursi omnes: et quasi columbae meditantes gememus. Exspectavimus judicium, et non est: salutem, et elongata est a nobis.

LXX: Propterea recessit judicium ab eis: et non apprehendit eos justitia. Cum exspectarent lucem, factae sunt eis tenebrae. Praestolantes eam in tenebris ambulabunt: palpabunt sicut caeci parietem: et quasi non habentes oculos attrectabunt. Cadent in meridie, quasi in nocte media: quasi morientes gement: quasi ursus, et quasi columba pariter ambulabunt. Exspectavimus judicium, et non est: salus longe recessit a nobis. Post accusationem populi Judaeorum, ex persona eorum Propheta respondit, quid loqui debeant poenitentes, si tamen velint post vulnera recipere sanitatem. Mirorque cur Septuaginta, quasi Propheta de eis loquatur, et non ipsi ad Prophetae verba respondeant, orationem texuerint, cum in consequentibus veritate superati, hoc idem fecerint, dicentes: Exspectavimus judicium, et non est; salus longe recessit a nobis. Multa enim iniquitas nostra in conspectu tuo; et peccata nostra restiterunt nobis, et caetera. In praesenti igitur tempore universa complentur. Elongatum est judicium a Judaeis, quod gentibus nuntiatum est. Et non apprehendet eos justitia, quae a nationibus comprehensa est. Exspectaverunt lucem, dicentes: Emitte lucem tuam et veritatem tuam (Ps. XLII, 3), quae eis per Prophetas fuerat repromissa, et erroris tenebris occupati sunt. Sustinebant splendorem; et ambulaverunt in tenebris. Ita Scripturas sanctas, quasi caeci palpantes parietem, verba tantum in eis et folia, non sensum fructumque quaerentes, qui tenetur in litteris. Denique jungit et dicit: Impegimus, sive cademus meridie, quasi in tenebris: in caliginosis, quasi mortui. In toto enim orbe, sole justitiae splendorem rutilante, illi morantur in tenebris, videlicet ut peccato mortui. Rugiemus, ait, quasi ursi omnes, et quasi columbae meditantes gememus; ut et

crudeles sint pariter et miseri: feri et immanes ad humiles atque subjectos: pavidi atque trepidantes ad eos qui fortiores sunt, quos quasi accipitres perhorrescunt. Legimus et in alio loco: Quasi ursa raptis catulis. Et in Daniele, regnum cruentum in quo sunt tres ordines dentium, ursae ferocissimae comparatum (II Reg. XVII, 8; Dan. VII). Et quasi columbae meditantes gememus, absque sensu et intelligentia Scripturarum, tantum verba meditantes, quae decantant memoriter. Sed quomodo columbae, de quibus scriptum est: Ephraim quasi columba non habens sensum (Osee VII, 11); et quomodo in Evangelio contra serpentum malitiam, simplicitas ponitur columbarum (Matth. X): sic in praesenti loco, simplicitas absque prudentia, quae vicina stultitiae est, in sola verborum meditatione monstratur. Exspectabunt judicium, et non erit: salutem, subauditur, exspectabunt et non erit, quia longe migravit ad gentes. In quo notandum, quod omnia futuro dicantur tempore, ut quod nunc Judaei sustinent, indicetur.

## (Vers. 12 seqq.)

Multiplicatae sunt iniquitates nostrae coram te, et peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus. Peccare et mentiri contra Dominum: et aversi sumus, ne iremus post tergum Domini nostri, ut loqueremur calumniam, et transgressionem concepimus, et locuti sumus de corde verba mendacii. Et conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, et aequitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, praedae patuit.

LXX: Multa est enim iniquitas nostra in conspectu tuo, et peccata nostra restiterunt nobis. Iniquitates enim nostrae in nobis sunt, et injustitias nostras cognovimus. Impie egimus, et mentiti sumus, et recessimus a Deo nostro. Locuti sumus iniqua, et inobedientes fuimus.

Parturivimus et meditati sumus de cordibus nostris verba iniqua. Et recessimus a judicio, et justitia longe stetit, quia consumpta est in viis eorum veritas, et per rectum iter transire non poterant. Et veritas sublata est: et transtulerunt mentem ut non intelligerent. Reddit causas quare rugierint quasi ursi, et meditati sunt ut columbae; exspectaverint judicium quod non erat, salutem quae transivit ad gentes: quia multiplicatae sunt, dicentes, iniquitates nostrae in conspectu tuo: a quibus multo tempore averteras faciem, ne eas cerneres, ne ferires. Et peccata nostra responderunt nobis, ut reciperemus quod meruimus. Et scelera nostra nobiscum sunt: iniquitatesque cognovimus, quas multo tempore perpetrantes putabamus esse justitiam. Quae sunt autem iniquitates? Peccare et mentiri contra Deum: sive ut juxta Hebraicum, Aquila transtulit, negare Deum: quod ad Salvatorem refertur. Et reliquimus, inquiunt, Deum nostrum dicentes: Scimus quod Moysi locutus sit Deus: hunc autem nescimus, unde sit (Joan. IX, 29), ut loqueremur calumniam, Hic si ex Deo esset, non solveret sabbatum (Ibid., 16). Et: In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia (Luc. X, 15). Et transgressionem, quae significantius Graece dicitur --- cum aliquis negat Deum et praevaricationis arguitur. Concepimus et locuti sumus de corde verba mendacii, contemnentes legem Dei, et sequentes traditiones hominum: quas illi --- vocant, et quas in nostro corde simulavimus: Et conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit. Quae enim pars justitiae et iniquitati? qui consensus Christi et Belial? Stetit justitia in gentibus, et recessit a nobis, quia corruit in platea veritas. Lata enim et spatiosa via quae ducit ad mortem (Matth. VII): quia angustam viam, in qua veritas commoratur, intrare nolebant. Et facta est veritas in oblivionem, de qua scriptum est: Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit (Ps. LXXXIV, 12). In quo animadvertendum quod crebro veritas nominata sit, ut Christi persona monstraretur, quam deserentes, secuti sunt mendacium. Et qui recessit a malo, praedae patuit.

Quod quamquam videatur obscurum, sic edisseri potest: nobis mendacium de nostro corde fingentibus et deserentibus legem Dei, justitia longe stetit, et veritas corruit in plateis, et aequitas ad nos intrare non potuit, et Filius Dei, qui est veritas, factus est in oblivionem: in tantum ut quicumque a traditionibus Judaeorum cupierit recedere, statim pateret insidiis et persecutionibus: ita ut caecum a nativitate, qui oculos receperat, expulerint de synagogis (Joan. IX). Et post resurrectionem Domini Salvatoris, omnes, qui in eo credebant, persecuti sint atque nudaverint: quibus de toto orbe gentium Ecclesiae ministeria dirigebant, quae per manus Apostolorum distribuerent.

## (Vers. 16, 17.)

Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus: quia non est judicium, et vidit quia non est vir, et aporiatus est, quia non est qui occurrat. Et salvavit sibi brachium suum: et justitia ejus ipsa confirmavit eum. Indutus est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus. Indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis, insulis vicem reddet.

LXX: Vidit Dominus, et non placuit ei: quoniam non erat judicium. Et vidit, et non erat vir. Et consideravit, et non erat qui defenderet. Et ultus est eos brachio suo, et misericordia sustinuit. Et indutus est justitiam quasi loricam, et posuit galeam salutis in capite. Et circumdatus est vestimento vindictae, et pallio, quasi retribuens ultionem opprobrium adversariis. Hucusque ex persona populi propheticus sermo contextus est: nunc propheta ex sua persona loquitur. Illis ista dicentibus, vidit Dominus quod poenitentiam ore jactarent, et corde non agerent, et non placuit ei. Quaesivit enim in eis judicii veritatem, quod ad gentes translatum fuerat, et non reperit.

Desideravit aliquem justum virum, qui sibi irato possit occurrere, et non invenit; qui et supra dixerat: Veni, et non erat vir: vocavi, et non erat qui audiret (Isai. L, 1). Et quia illis in scelere permanentibus, ne unus quidem justus inventus est: sed omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: et non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Psal. 13), brachio suo atque justitia, sive misericordia confirmavit eum, ut qui voluerint ab errore converti, non suo merito, sed Dei clementia conserventur. Denique indutus est justitiae lorica, et galea salutis, et vestibus ultionis, et zeli pallio circumdatus: sicque armatus processit ad bellum, ut redderet ultionem inimicis suis: haud dubium quin Judaeos significet, perseverantes in blasphemiis: et vicissitudinem hostibus suis, quando eos Romanus cinxit exercitus. Quibus vincentibus, Dominus pugnasse monstratur. Hoc testimonio usus est Paulus scribens ad Ephesios: et volens nos indui armatura Christi, quo possimus ignitis diaboli jaculis resistere (Eph. VI). Quodque in Septuaginta Interpretibus non habetur: Insulis vicem reddet, urbes Judaeae significat, quas Romanus vastavit exercitus. Nam et supra (Cap. XX) habitatoribus insulae, id est, Jerusalem Dominus loquitur per Prophetam.

## (Vers. 19, 20.)

Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis, gloriam ejus: cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit: et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus: Amodo et usque in sempiternum.

LXX: Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis, nomen inclytum. Veniet enim quasi fluvius violentus ira Domini, ÷ veniet cum furore ** et

veniet de Sion qui liberet. Et avertet impietates a Jacob, et hoc erit eis a me testamentum, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae dedi in ore tuo, non deficient de ore tuo, et ex ore seminis tui, ait Dominus ex nunc et in aeternum. Postquam Dominus lorica justitiae, et galea salutis, et vestibus ultionis, zelique pallio fuerit indutus ad pugnam, et venerit ad certamen atque vindictam, ut retribuat hostibus, et reddat inimicis suis, et insulas eorum, id est, urbes viculosque subvertat, tunc alienigenae qui de Occidente et Oriente venturi sunt, ut requiescant in sinu Abraham (Matth. VIII), de quibus et supra (Ad cap. XLIX, 12) dictum est: Ecce isti de longe venient, alii de Occidente, et alii ab Aquilone, et alii de terra Persarum, timebunt Dominum, eo timore qui est initium sapientiae (Eccli. I). De quo in multis locis legimus, ex quibus pauca ponamus: Beatus vir qui timet Dominum (Psal. CXI, 1). Et: Non est inopia timentibus eum (Psal. XXXIII, 10). Et: Timor Domini disciplina et sapientia (Prov. XV, 33). Et: Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos (Psal. XXXIII, 12). Et: Beatus homo qui timet Dominum (Psal. CXXVII, 4). Et: Timor Domini addit dies (Prov. X, 27). Quod autem repulso Israel, gentium turba succedat, Malachias propheta plenius docet, in quo dicitur ad Judaeos: Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus Omnipotens. Et hostiam non suscipiam de manibus vestris (Malach. I, 10, 11). Rursumque de multitudine nationum: Ab ortu enim solis usque ad occasum, glorificatum est nomen meum in gentibus. Hujus beatitudinis ille auctor est, qui veniet quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit. Sive ut Aquila transtulit, quasi flumen angustum, spiritus Domini signaculum ejus. Aut Theodotio, quasi fluvius oppugnans, spiritus Domini signatus est. In eo ergo testimonii hujus, quod LXX transtulerunt, quasi fluvius violentus, ira Domini veniet cum furore, pars ultima in Hebraico non habetur. Neque enim in repromissionibus Dei, ira furorque ponendus est: cum in caeteris quae sequuntur, beatitudo sit futurorum, et comminatio poenaque peccantium. Juxta

Aquilam autem et Theodotionem, spiritus Domini qui signatus in Christo est, illud confirmat exemplum, quod in Joanne Evangelista legitur: Hunc enim Deus signavit Pater (Joan. VI, 27); de quo ante jam dictum est: Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini (Isai. XI, 1 seqq.) Unde et nos dicimus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Psal. IV, 7). Et in Ezechiele, virorum gementium frontes THAV, litterae Hebraicae, quae apud eos ultima est, impressione signantur (Ezech. IX). Sin autem scire volumus, quomodo Spiritus sanctus fluvius violentus sit, Apostolorum acta relegamus, in quibus scriptum est: Cum autem congregati essent pariter, factus est subito de coelo sonus quasi spiritus violentus, et implevit universam domum ubi erant sedentes. Apparueruntque eis linguae dispersae sicut ignis: et sedit super singulos eorum. Repletique sunt omnes Spiritu sancto (Act. II, 2, 3). Sequitur: Veniet redemptor Sion: et eorum qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Pro quo Septuaginta transtulerunt: Veniet ex Sion qui liberet: et avertat impietates a Jacob. Si ergo de Sion veniet, qui avertat impietates a Jacob, hoc intelligimus, quod homo natus sit in Sion, et fundaverit eam Altissimus, qui avertit scelera Jacob. Sin autem veniet Sion redemptor, et his qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus, hic sensus est: Veniet Christus qui redimet Sion sanguine suo. Sive juxta Hebraicam proprietatem, qui propinquus est Sion, et de Israel stirpe generatus sit, hoc enim GOEL, id est, --- sonat. Ac ne putemus omnem redimi Sion et eam de sceleribus liberari, quae Domini sanguine cruentata est, significanter adjunxit: his qui redeunt ab iniquitate, si voluerint agere poenitentiam, in quibus oratio Domini compleatur: Pater, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt (Luc. XXIII, 34). Eorum igitur in Sion redemptio est: et propinquus, qui eum susceperint ex Jacob, et illis

pollicetur dicens: Hoc foedus meum cum eis, sive pactum, ut omnes alii transtulerunt, aut testamentum, ut posuere Septuaginta. Quod sit autem foedus, pactum, et testamentum, sequens versus ostendit: Spiritus, inquit, meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, amodo et usque in sempiternum. Quod vel ad Isaiam dicitur, ut mihi videtur, vel ad Dominum, ut plerique aestimant. Igitur ad Isaiam sic ordo connectitur: Hoc est pactum Evangelii sempiternum, ut spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, per quae ventura praedices, non de tuo ore discedant, nec de filiorum tuorum ac nepotum, et seminis tui, ut omnis per seriem generatio demonstretur: quod scilicet gratia Prophetarum in Apostolis veniat, et per eos qui de Israel per Apostolos credituri sunt. Quod autem infert: Amodo et usque in sempiternum, illi testimonio congruit: Coelum et terra transibunt: verba autem mea non praeteribunt (Matth. XXIV, 35). Hunc locum diligenter Paulus edisserens, scribit ad Romanos, quod non sit distinctio Judaei et Graeci, sed ipse Dominus omnium, dives in omnibus qui invocant illum (Rom. XI); et quod non sic crediderint gentes, ut Israel penitus pelleretur. Nam et ego, ait, Israelites sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam praescivit (II Cor. XXII). Et post paululum, cum Eliae posuisset exemplum, querentis ad Dominum quod solus esset relictus, et audientis ab eo quod reliquisset sibi Dominus septem millia virorum, qui non curvassent genua ante Baal (I Reg. XIX), intulit: Sic igitur et in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo est? quod quaerebat Israel, hoc est consecutus: electio autem consecuta est: caeteri vero excaecati sunt. Qui si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim, inquit, Deus, iterum inserere illos (Rom. XI, 5 et seqq.), non contra naturam ex oleastro, sicut gentium inserta est multitudo; sed secundum naturam in bonam, id est, in

suam olivam. Et ad extremum posuit, ut ad praesens capitulum perveniret: Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis apud vosmetipsos sapientes. Quia caecitas ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium subintraret: et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui liberet, et avertet impietates a Jacob, et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum (Rom. XI, 25 et seqq.). Haec idcirco latius prosecuti sumus, ut quidquid repromissionum et legimus, et dicturi sumus, ad Sion et ad Jerusalem, non generaliter ad omnes Judaeos, sed specialiter ad eos dici intelligamus, qui in Apostolis et per Apostolos electi sunt ex Israel.

## LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

Quanta mysteria septimus post decimum numerus, ad quem nunc Explanationum in Isaiam pervenit liber, in Scripturis sanctis contineat, vellem, virgo Christi Eustochium brevi sermone percurrere. Sed quia non possum omnia in omnibus locis dicere, hoc strictim admoneo, quod psalmus, qui hujus numeri titulo praenotatur, sit pueri Domini David, et cecinerit verba Cantici, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saul, et dixerit: Diligam te, Domine, fortitudo mea, et reliqua. Puer autem Domini ille est, cui Pater loquitur in Isaia: Magnum tibi est vocari puerum meum (Isai. XLIV). Et in alio loco: Ecce puer meus quem elegi, et dilectus meus in quo complacuit mihi anima mea (Isai. XLII, 2). Iste puer qui interpretatur, fortis manu, in die qua liberavit eum Dominus de manu Saul; qui in lingua nostra, expetitum, vel infernum sonat, et ab omnibus inimicis suis, qui clamaverunt contra eum: Crucifige, crucifige talem (Luc. XXIII), quando ad Patrem victor ascendit fulvis vestibus de Bosra, inter caetera triumphantis locutus est verba: Eripe me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.

Populus quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi (Ps. XVII, 44, 45). Rursumque de populo Judaeorum: Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveteraverunt, et claudicaverunt a semitis suis (Ibid., 46); quibus et Elias dixerat: Usquequo claudicatis utroque pede (II Reg. XVIII, 21)? Denique quod difficile in aliis reperitur, hic psalmus tam in Samuelis, quam in Dierum historia continetur (II Reg. XXII). Qui de uno numero ad hebdomadem per incrementa proficiens, venit ad vicesimum octavum psalmum, qui et ipse inscribitur David, in consummationem tabernaculi, quando Angelis imperatur: Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. Et omnia baptismi salutaris et Ecclesiae mysteria concinuntur: Vox Domini super aquas: Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas, vox Domini in virtute (Ps. XXVIII, 1): Et post paululum: Vox Domini praeparantis servos, et revelavit condensa, et in Templo ejus omnes dicent gloriam (Ibid., 3, 10). Atque ut multitudinem credentium demonstraret, intulit: Dominus diluvium inhabitare fecit: et sedebit Dominus rex in aeternum. Rursumque octavo addito sacramento, tricesimum sextum psalmum efficit litteratum, cujus principium est: Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Cujus expositio, non praefationis, sed proprii voluminis est. Et ne multa nunc replicemus, usque ad quintum decimum numerum per augmenta succrescens, in quo psalmi graduum sunt, et vas electionis apud Petrum Hierosolymis commoratur, centesimum vicesimum efficit numerum, qui primi in Christum fuere credentes et cum Apostolis coenaculum fidei conscenderunt (Act. V): descenditque super eos Spiritus sanctus (Galat. I). Postque usque ad septimum decimum numerum ordine gradiens, et Evangelicam possidens dignitatem, praecipiente Domino de dextris partibus, centum quinquaginta tres pisces magnos capit, et in Ecclesia collocat (Joan. XXI). Cui et nunc Isaias propheta loquitur.

## (Cap. LX.---Vers. 1 seqq.)

Surge, illuminare: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.

LXX: Illuminare, illuminare ÷ Jerusalem ** venit enim lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Ecce tenebrae operient terram; et caligo super gentes. Super te autem apparebit Dominus, et gloria illius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore tuo. Quid nobis videretur de instauratione Sion et Jerusalem, et cunctis quae ei prophetali vaticinio promittuntur, in fine superioris libri plenius diximus, ubi interpretati sumus, quid significaret ille versiculus: Veniet Sion redemptor, et his qui redeunt ab iniquitate in Jacob. Nunc breviter perstringendum est, quid plurimi de hoc loco sentiant, ut errore perspecto, facilius possimus suscipere veritatem. Judaei et nostri semijudaei, qui auream atque gemmatam de coelo exspectant Jerusalem, haec in mille annorum regno futura contendunt, quando omnes gentes serviturae sunt Israel, et cameli Madian et Epha de Saba venientes, aurum deferent et thus, et omnes oves Cedar congregentur, arietesque Nabajoth veniant, ut immolentur super altare Templi, quod fuerit exstructum. De insulis quoque, et maxime navibus Tharsis, volare filias illius ut columbas, auri et argenti divitias conferentes: et aedificari muros Jerusalem ab alienigenis, quibus praesint reges gentium, semperque apertas fore portas civitatis, ut diebus ac noctibus divitiae Jerusalem et victimae deferantur. Et omnia quae deserta sunt cyparisso, et pino, et cedro sectis in Libano, construenda: praecipue Templum Domini, in quo sit laetitia sempiterna: ita ut sugat lac nationum, et regum divitias comedat, tantamque abundantiam rerum omnium fore, ut pro aere, aurum habeant, pro ferro

argentum, pro lignis, aes, pro lapidibus, ferrum. Principes quoque illius aeterna pace fruituros, et episcopos praefuturos populis in justitia, sed et portas futuras anaglyphas. Et quod his majus est, pro sole et luna, ipsum Dominum aeterna luce fulsurum: et pro uno homine habituram eam mille fortissimos viros, et pro parvulis, gentes robustissimas possessuram. Haec illi dicunt, qui terrenas desiderant voluptates, et uxorum quaerunt pulchritudinem, ac numerum liberorum, quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum (Philipp. III), quorum qui sequitur errorem, sub nomine Christiano Judaeorum se similem confitetur. Alii autem asserunt haec omnia Judaeis carnaliter repromissa, si recepissent eum, qui dicit in Evangelio: Ego sum lux mundi (Joan. VIII, 12), quae illuminat omnem hominem venientem in mundum, ut quomodo victimae concessae sunt populo Israel, non quo per se bonae essent, sed ne daemonibus offerrentur: ita et gulosis Judaeis, nihilque aliud quaerentibus nisi corporum voluptates, ista Dominus pollicetur, ut saltem pro carnalibus desideriis, et opum abundantia Filium Dei susciperent, quem quia non susceperunt, repromissiones quoque irritas fieri. Denique Chananaeae pro filia deprecanti: Non veni, inquit, nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. XV, 24). Et discipulis suis: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: ite magis ad oves perditas domus Israel (Matth. X, 5, 6). Quam ob causam et Apostoli primum in synagogis Dominum nuntiabant, quibus non recipientibus Evangelium, dicunt ad eos: Vobis quidem oportuerat praedicari verbum: sed quia non recepistis salutem, ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46). Lux enim venit in mundum: et magis Judaei dilexerunt tenebras. Unde et Dominus cum Jerusalem flevisset, adjecit: Si scires etiam tu quae ad pacem sunt tibi (Luc. XIX, 42). Quam quia non suscepit, intulit: Nunc autem veniet dies super te: et circumdabunt te inimici tui vallo: et coarctabunt te, ad terramque deducent cum filiis tuis (Ibid., 43). Nos autem juxta priorem sensum, ad Ecclesiam

dici universa credamus: quae primum de Judaico populo congregata est, et lumen quod super eam ortum fuerat, per Apostolos transmisit ad gentes. Cui dicitur: Surge, illuminare; ut quae cecidit in incredulis, surgat in Fidelibus: quae cecidit in synagogis, surgat in Ecclesiis: et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeant erroris tenebras. Venit enim, inquit, lumen tuum, quod omnes Prophetae pollicebantur, quod jugiter exspectabas, Et gloria Domini, quae quondam fuit super tabernaculum, et Templum ejus, orta est super te: de qua dictum est: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Ps. LXXXVI, 2). Ecce enim tenebrae operient terram, eos qui terrena sapiunt; et caligo populos, sive ut in Hebraico legitur: Tribus: quod proprie refertur ad Judaeos, de quibus in alio psalmo scriptum est: Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel (Ps. CXXI, 4). Super te autem orietur Dominus, sol justitiae, et gloria ejus in te videbitur: de qua scriptum est: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis (Joan. I, 14). Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Nos omnes ambulabimus in Apostolorum luce, quae lucet in mundo, et tenebrae eam non comprehenderunt. Et reges, inquit, in splendore ortus tui: quando primum in Christo nata es. Quod et spiritualiter impletur, et carnaliter, ut reges quorum cor in manu Domini est, et quibus non regnat peccatum in mortali corpore (Prov. XXI), ambulent in splendore nascentis Ecclesiae, sive in eo qui ortus est in Ecclesia, et veri regis Christi fidei colla submittant (Rom. VI). Quod quotidie videmus expleri quando idololatriae errore sublato, et persecutionis rabie, ad fidem ac tranquillitatem Christi, Romani principes transeunt. Sunt qui haec omnia quae nos post primum Salvatoris adventum usque ad consummationem mundi, et ex parte completa, et penitus explenda memoramus, futuro tempore praestolentur, quando subintrante plenitudine gentium, salvandus sit omnis Israel (Rom. XI). Quorum nequaquam sententia reprobanda est, dummodo spiritualiter haec complenda,

et non carnaliter noverimus. Porro nomen Jerusalem et gentium, quod hic a LXX ponitur, in Hebraico non habetur, et obelo praenotandum est, adversum eos, qui asserunt omnia quae dicuntur dici ad Jerusalem.

## (Vers. 4.)

Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati venerunt tibi. Filii tui de longe venient et filiae tuae in latere sugent.

LXX: Leva in circuitu oculos tuos: et vide omnes congregatos filios tuos. Venerunt omnes filii tui de longe, et filiae tuae super humeros portabuntur. Dicitur ad Ecclesiam, quae primum per Apostolos congregata est Sion, de quibus et in Actibus Apostolorum legimus, quod de universo orbe terrarum viri religiosi fuerint in Jerusalem, qui susceperint sermonem Dei et linguis suarum alienarumque gentium, vel audirent loquentes alios, vel ipsi loquerentur ad caeteros (Act. II). Et praecipitur ut levent oculos suos in circuitu: quod et Dominus praecepit Apostolis, dicens: Levate oculos vestros, et videte, quia jam albae sunt segetes ad metendum (Joan. IV, 35). De Sion enim, et nequaquam de monte Sina, egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. Praecipiturque ut elevatis oculis videat suos filios congregatos, qui de longe veniant. Cui et in alio loco dicitur: Gaude nimis, filia Sion, praedica, filia Jerusalem: Ecce ego venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus (Soph. III, 17); et, Venient gentes multae ad Dominum: et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum (Zach. II, 11). Nos autem sumus filii qui de longe venimus ad Dominum, peregrini quondam a Testamento Dei et repromissionibus ejus, spem non habentes, et absque Deo in mundo. Sed quid dicit Aposlolus? Vos qui eratis aliquando longe, nunc facti estis prope (Ephes. II, 13). Quodque sequitur: Et filiae tuae in latere sugent, illud significat, quod animae in Christo lactentes, et in

baptismate parvulorum, de quibus et Petrus apostolus loquitur, Quasi modo nati parvuli, rationabile et absque dolo lac desiderate (I Pet. II, 2), sugant lac apostolorum. Quibus parvulis atque lactentibus loquebatur et Paulus: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (Galat. IV, 19). Et in alio loco: Quasi nutrix fovens filios suos, sic desiderantes vos cupimus impertire non solum Evangelium Christi, sed et animas nostras (I Thess. II, 7, 8). Quod autem pro hoc in LXX dicitur, filiae tuae super humeros portabuntur, diligentius attendendum est. Filii enim qui robusti sunt, ipsi per se de longe veniunt, et ad fidem Domini congregantur. Filiae autem quae imbecilliores sunt, et pro fragilitate sexus, necdum in virum venere perfectum, Apostolorum portantur humeris, ut deferantur in sinus Abraham, Isaac et Jacob.

## (Vers. 5.)

Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum: quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

LXX: Tunc videbis, et timebis, et stupebis corde: quoniam transferentur in te divitiae maris, et gentium, et populorum. Cum elevaveris oculos tuos, et filios tuos filiasque prospexeris vel per se venire velociter, vel sanctorum humeris deportari, tunc gaudebis, et in modum fluviorum, aquis subitis inundaberis, et mirabitur, ac stupebit, immo dilatabitur cor tuum, audiens Apostolum: Os meum patet ad vos, o Corinthii. Et iterum: Dilatamini et nos (II Cor. VI, 11); ne angustia pectoris non possitis habere hospitem Christum, qui dicit in Evangelio: Ego et Pater veniemus, et mansionem faciemus apud eum (Joan. XIV, 23). Quod autem additur in LXX, et timebis, in Hebraico non habetur. Nisi forte post gaudii magnitudinem subintravit timor, ne tanto bono careat. An non est gaudium, cernere divitias, et multitudinem maris ad se transferri atque converti, et fortitudinem gentium

venire sibi, ut quidquid in saeculo et orbe terrarum est, suum sit; et roborata fide gentium dicat: Omnia possum in eo qui confortat me, Jesu Christo (Phil. IV, 13)?

## (Vers. 6, 7.)

Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabajoth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo: et domum majestatis meae glorificabo.

LXX: Et venient tibi greges camelorum, et operient te cameli Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes: et salutare Domini annuntiabunt. Omnes oves Cedar congregabuntur tibi, arietes Nabaeoth venient, et offerentur placabiles super altare meum: et domus orationis meae glorificabitur. Post divitias maris et fortitudinem gentium, greges quoque camelorum, et dromades Madian et Epha promittuntur Jerusalem, qui omnes venient de Saba, portantes aurum et thus: et, quod his majus est, annuntiantes Domini salutare. Universae quoque oves Cedar congregabuntur Ecclesiae, et arietes Nabajoth venient, sive ut in Hebraico scriptum est, ministrabunt, et offerentur, sive offerent victimas super altare Domini, ut domus ejus inclyta fiat. Madian et Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque provincia appellatur Saba, unde fuit et Saba regina, quae venit sapientiam audire Salomonis: et ipsa deferens aurum et thus, pacifico regi multa deportans, et ab eo majora suscipiens (III Reg. X). Cedar autem regio Sarracenorum est, qui in Scriptura vocantur Ismaelitae. Et Nabajoth unus est filiorum Ismael, ex quorum nominibus solitudo appellatur, quae frugum inops, plena est pecorum. Per familiaria ergo nomina gentium barbararum, quae vicinae sunt Israeli, totius mundi conversio praedicatur. Madian quippe in hoc loco

interpretatur iniquitas. Epha, resolutus, sive effundens. Saba, conversio, vel captivitas. Cedar, tenebrae. Nabajoth, prophetiae. Greges igitur camelorum, iniquitatis vinculis resoluti, et animas suas effundentes Deo, operient Jerusalem muneribus, et omnes de captivitate venient, et conversione sua, aurum fidei deferentes, et thus sacrificii. Et per haec munera nequaquam propria salute contenti, proficient, ut etiam caeteris praedicent salutare Dei. Dives ille, qui instar cameli portabat in Evangelio divitiarum pondera, et camelus erat, noluit Domini audire consilia, nec exonerari, ut abjecta sarcina, alis columbae volaret ad coelum; propterea tristis abiit. Et de istius modi camelo Salvator loquitur: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regna coelorum (Matth. XIX, 24). Difficultatem rei proposuit, non impossibilitatem. Denique sanctae memoriae mater tua Paula, fraterque Pammachius, per foramen acus, hoc est, per arctam et angustam viam quae ducit ad vitam, transierunt ad regna coelorum, latam viam cum sarcinis relinquentes, quae ducit ad tartarum. Immo quidquid habebant, in Domini dona portarunt, implentes illud quod scriptum est: Redemptio animae viri, propriae divitiae (Prov. XIII, 8). Quae enim apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt (Matth. XIX). Habentes in muneribus principalia, aurum, in sensu et thus odoris optimi, atque dicentes: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Et: Christi bonus odor sumus in omni loco (II Cor. II, 15); exemplo virtutis suae, quotidie nuntiant salutare Domini, ut omnes oves Cedar congregentur in Ecclesia, et de erroris tenebris ad lucem transeant. Arietesque Prophetarum, de quibus in vicesimo octavo psalmo canitur: Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum, veniant et offerantur, sive juxta Theodotionem, offerant se sacrificium Domino, et placabiles hostiae fiant, ut Christi glorificetur Ecclesia. De hujuscemodi ovibus Salvator discipulis loquebatur: Ite ad oves perditos domus Israel (Matth. X, 3). Et iterum: Meae

oves meam vocem audiunt (Joan. X, 3). Et in Ezechiele plenius: Ecce ego quaeram oves meas, et visitabo illas: sicut quaerit pastor gregem suum. Haec dicit Dominus: Perditam quaeram, et errantem reducam, et fractam alligabo, et infirmam confortabo, fortemque custodiam, et pascam eas cum judicio (Ezech. XXXIV, 11, 12). Et ut nossemus quae essent oves, ponit manifestius: Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum; et isti populus meus domus Israel, dicit Dominus Deus: et vos oves meae, et oves gregis mei omnes estis, et ego Dominus Deus vester (Ibid., 27, 28). Si quis ergo in gentibus dives est, salvetur ut camelus, non absque donis, atque muneribus, quo possit verbum Domini praedicare. Si quis simplicitatis ovium et auctoritatis arietum, ascendat vel offeratur in altare Domini ab his qui praevalent, ut domus ejus glorificetur. Quod autem in Hebraico scriptum notavimus: Arietes Nabajoth ministrabunt tibi, et offerent super placabili altari meo, proprie super his intelligitur, qui de gentibus electi in sacerdotium, ministri sunt Salvatoris. Si quis autem contentiosus est, et carnaliter haec promissa contendit, respondeamus ei: Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei (I Cor. XI, 16). Illudque dicamus, quod etiam si carnaliter sunt promissa Judaeis, tamen sub conditione sunt promissa, ut si suscepissent lumen suum, quod ad eos missum fuerat, tunc etiam ista sequerentur, quod videlicet per desiderium auri, et opum abundantiam, rerumque carnalium, quorum semper ista gens capiebatur illecebris, susciperent ad se missum Filium Dei, quem quia non susceperunt, universa sublata sunt, et suscipientibus spiritualiter reddita haereditas.

## (Vers. 8, 9.)

Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? me enim insulae exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe; argentum eorum et aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, et Sancto Israel, quia glorificavit te.

LXX: Qui sunt hi qui ut nubes volant, et sicut columbae cum pullis ad me? Me insulae exspectarunt, et naves Tharsis in primis, ut adducant filios tuos de longe, et argentum suum et aurum cum eis, propter nomen Domini sanctum: et quia Sanctus Israel glorificatus est. Quia Dominus ingressus est Aegyptum super nubem levem, et nubibus Prophetarum mandavit, ne pluerent super Israel imbrem, ad quos pervenit veritas Dei, miratur Ecclesia de Circumcisionis primum populo congregata, volare ad se gentium turbam toto orbe terrarum. Et assumptis alis Spiritus sancti, festinare, juxta Symmachum et Theodotionem, ad fenestras suas; juxta Aquilam ad cataractas suas, ut ingrediantur Ecclesiam. Sive doctores cum discipulis, id est, columbas cum pullis suis volare ad Ecclesiam de insulis gentium, quae juxta vaticinia Prophetarum exspectabunt Dominum. Naves quoque THARSIS, id est, maris, de quibus in visione Tyri plenius diximus, adducent filios Ecclesiae in principio fidei, aurum argentumque portantes. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem (Rom. X, 10). De quo auro et argento in sexagesimo septimo psalmo scriptum est: Pennae columbae deargentatae, et posteriora ejus in fulgore auri (Psal. LXX, 14). Et septuagesimo primo psalmo: Reges Tharsis et insulae munera offerent, et reges Arabum et Saba dona adducent (Psal. LXXI, 10). Quae omnia deferuntur nomini Domini Dei et Sancto Israel, qui glorificavit eum.

## (Vers. 10 seqq.)

Et aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui: et aperientur portae tuae jugiter, die ac nocte non claudentur: ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit: et gentes solitudine vastabuntur.

LXX: Et aedificabunt alienigenae muros tuos, et reges eorum assistent tibi. Propter iram enim meam percussi te, et propter misericordiam dilexi te. Et aperientur portae tuae semper: die ac nocte non claudentur, ut introducant ad te fortitudinem gentium, et reges earum qui adducendi sunt. Gentes enim et reges qui non servierint tibi, peribunt: gentes solitudine desolabuntur. Inter caetera quibus ditatur Ecclesia, et urbs Salvatoris exstruitur, alienigenae quoque et filii peregrinorum aedificant muros ejus, ne hostis possit intrare, nec locum invenire perfidia. Alienigenae autem et peregrini proprie significant populum nationum, qui vere exstruxerunt Ecclesiam Christi: intantum ut reges eorum et principes ministrent, sive assistant ei. Quod vel carnaliter accipitur, vel spiritualiter. Si carnaliter, videmus Caesares Romanos Christi jugo colla submittere, et aedificare ecclesias expensis publicis, et adversus persecutiones gentium atque insidias haereticorum Legum scita pendere. Si spiritualiter, quicumque in eis continentia, eloquentia, sanctitate, principes sunt, et animae imperio carnis subjugant servitutem, ipsi administrant, et assistunt, vel auxiliantur ei, quam saepe propter negligentiam deserit, vel persecutorum percutit virga, ut rursum propter sui misericordiam diligat. Vel certe hoc dicendum, quod afflictam quondam et captivitati traditam in populo Judaeorum, in vocatione gentium reconciliet sibi, ita ut portae ejus semper apertae sint, et nec die nec nocte claudantur, et salvari cupientibus jugiter pateant, id est, ut ei in gaudio, et in tribulatione volentibus credere, introitus non negetur. Et inferatur ad eam fortitudo, sive divitiae gentium; et reges earum ministrent, sive adducantur ei quasi captivi. Quod tunc intelliges, cum videris eloquentissimos adduci ad fidem Christi; et stultam fieri sapientiam sapientium, ac prudentiam prudentium reprobari (I Cor. I): ut fatuum Dei sapientius sit hominibus. Gentem autem et reges earum, qui servire Ecclesiae noluerint bonam et utilem servitutem, ut in Apostolicam transferant dignitatem,

peribunt ea perditione, quae impiis praeparata est, et quidquid in eis fuerit, redigetur in solitudinem, qui habere noluerunt hospitem Deum.

## (Vers. 13, 14.)

Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meae; et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion Sancti Israel.

LXX: Gloria Libani ad te veniet in cyparisso et pino, et cedro simul ut glorificetur locus sanctus meus, + et locum pedum meorum glorificabo ** Et ibunt ad te timentes filii eorum qui te humiliaverunt, ÷ et irritaverunt te ** et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui irritaverunt te; et vocaberis civitas Domini Sion. Sancti Israel. Multa desunt in Septuaginta, quae ex Hebraeo sub asteriscis posui, et quod addiderunt, obelo praenotavi. Libanus mons Phoenicis est, excelsis arboribus consitus, quas Psalmista describens ait: Vidi impium superexaltatum, et elevatum quasi cedros Libani (Ps. XXXVI, 35). Et in alio loco: Conteret Dominus cedros Libani (Ps. XXVIII, 5). Multaque alia quae studio brevitatis praetereo. De hoc quondam Hiram rex Tyri, Salomoni Joppen ligna mittebat, ad aedificandum Templum Dei (III Reg. V). De quo etiam nunc Scriptura promittit, abietem et buxum et pinum, sive juxta Septuaginta, cyparissum et pinum, et cedrum, aut juxta Aquilam, abietem, thaadaor, et thaassur; vel juxta Theodotionem, Brais, Thadaar, et Theassur, simul esse caedendas, ut aedificetur templum Sion (II Paral. II). Quod si ita est, ubi erit aurea et gemmata Jerusalem? ubi uxor Agni? ubi portae duodecim gemmarum varietate distinctae? Nisi forte muros habebit et fundamenta gemmata, et Templum quod ornatius esse deberet, lignis aedificabitur. Qua ratione compellimur

omnia spiritualiter accipere, quod abies, cyparissus, pinus, et cedrus, excelsae quondam Libani arbores, glorificaverint Templum Dei, et locum pedum illius, et inclytum fecerint. Ac ne longo sermone sensum traham, vir sanctus et eloquentissimus martyr Cyprianus, et nostri temporis confessor Hilarius, nonne tibi videntur excelsae quondam in saeculo arbores, aedificasse Ecclesiam Dei? Quodque sequitur: Et venient ad te curvi, sive revertentes, filii eorum qui humiliaverunt te: et adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detraxerant tibi, de his debemus intelligere, qui non voluntate, sed necessitate sunt Christiani: et metu offensae regnantium, timentibus animis inclinantur. Vel certe quod prius persecutores, postea crediderint. Qualis fuit et apostolus Paulus, qui persequebatur Ecclesiam Dei, et postea vas electionis est appellatus (Act. IX). Cum haec ita fuerint expleta, ut intret gentium plenitudo, tunc omnis Israel salvus fiet. Et vocabitur vere civitas Domini Sion, Sancti Israel, quae consistit in specula, et de utroque populo congregata est.

## (Vers. 15, 16.)

Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generatione et generatione: et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. Et scies, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.

LXX: Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui auxiliaretur: ponam te exsultationem aeternam, gaudium generationum in generationes. Et suges lac gentium, et divitias regum comedes. Et scies quia ego Dominus qui salvam te feci, et qui erui te, Deus Jacob. Quae prius fuerat derelicta, et odio habita, fractis in te ramis, quia fructum non attulerant: qui idcirco fracti sunt, quia nullus erat qui pertransiret, et ibi praeberet auxilium: de quibus in psalmis dicitur: Et non dixerunt qui

praeteribant: Benedictio Domini super vos (Ps. CXXVIII, 8); propterea ponam te in superbiam sempiternam, sive in exsultationem et gaudium duarum generationum: pro pristinis ramis, aliis insertis de oleastro nationum, qui contra naturam exempli afferent fructus, non prioris amaritudinis, sed dulcedinis, quam de radice sumpserunt. Suges quoque lac gentium, et mamilla regum lactaberis. Qui locus quem sensum habeat, super plenius exposuimus, disserentes illum versiculum, Filii tui de longe venient, et filiae tuae in latere sugent. Sive juxta Septuaginta, divitias regum comedes. Quae divitiae secundum Hebraicam veritatem, ubera sunt regum atque doctorum, quibus nascentium in Christo eruditur et nutritur infantia. Quae cum suxeris et perveneris ad solidum cibum, ut divitias quoque hujuscemodi regum comedas: tunc scies quod ego sum Salvator tuus, qui redemi te sanguine meo, sive Deus fortis Jacob.

## (Vers. 17 seqq.)

Pro aere afferam aurum, pro ferro afferam argentum, et pro lignis aes, et pro lapidibus ferrum: et ponam visitationem tuam pacem, et praepositos tuos in justitiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.

LXX: Pro aere afferam tibi aurum, et pro ferro dabo tibi argentum, et pro lignis tribuam tibi aes, et pro lapidibus ferrum. Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia, et non audietur ultra iniquitas in terra tua, neque contritio et miseria in finibus tuis: sed vocabuntur salutare muri tui, et portae tuae sculptura. Eadem res pro locorum qualitate, alteri genus, alteri species. Et ne de artibus, rhetorica ac dialectica dicere quidpiam videar, ponam exempla communia, quae possint simplicem lectorem instruere. Filius meus, qui ad me species est, et me habet genus, filio suo genus est.

Dicam et aliud, quod alteri majus, alteri minus est. Centurio gregario milite major, tribuno minor est. Quinque pauci sunt ad decem: plures ad unum. Ergo in instauratione spiritualis Jerusalem, ligna vertentur in aes, et lapides mutabuntur in ferrum, id est, bruti quondam et insensibiles homines, in eas materias mutabuntur, quae utilitatem aliquam praebeant civitati. Ipsumque aes et ferrum per augmenta virtutum, in aurum argentumque mutabuntur: ut nequaquam utilitatis speciem, sed pretium quoque habeant ac decorem. De auro et argento, quid significent in Scripturis sanctis, saepius diximus. Ponam, inquit, principes tuos in pacem, et episcopos tuos in justitiam. Pro quo in Hebraico scriptum est: Ponam visitationem tuam pacem, et praepositos tuos in justitiam. In quo Scripturae sanctae admiranda majestas, quod principes futuros Ecclesiae, episcopos nominavit, quorum omnis visitatio in pace est, et vocabulum dignitatis in justitia: ut nequaquam accipiant personam in judicio, nec audiatur quidpiam iniquum in terra Ecclesiae, neque contritio et infelicitas in terminis ejus. Ubicumque enim iniquitas est, et justitia non servatur, et pax perditur, haec omnia consequentur. Sed pro his, ait, omnibus occupabit salus muros tuos, sive salvator, qui in Hebraico legitur JESUS, quod proprie nomen Domini sonat. Ipse enim fortitudo murorum Ecclesiae, quae habet portas in laude Domini: ut qui ingrediuntur eam, primum discant laudare Dominum, et nomen illius confiteri. Quod autem Septuaginta pro laude interpretati sunt γλύμμ , id est, sculpturam, hoc possumus dicere, quod portae Ecclesiae cunctis debeant caelatae esse virtutibus, per quas ingrediamur ad eam.

## (Vers. 19, 20.)

Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia

Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui.

LXX: Et non erit tibi sol ultra in lucem diei, neque ortus lunae lumen praebebit tibi nocte; sed erit tibi Dominus lux aeterna, et Deus gloria tua. Non enim occidet sol tibi, et luna tibi non deficiet. Eritque Dominus lux sempiterna, et complebuntur dies luctus tui. Ex hoc capitulo cogimur omnia quae dicta sunt et dicenda, ad ultimum referre tempus: quando coelo terraque transeuntibus, solis ac lunae cessabit officium. Et erit Dominus ipse lumen perpetuum, ut quae --- carnaliter asserunt esse complenda, nos spiritualiter futura esse credamus, in qualitate promissionum, non in tempore discrepantes. Quibus breviter respondendum est, quod [b si pseudoprophetis et peccatoribus sol occidit meridie, et e contrario timentibus Dominum oritur sol justitiae: quare non semper Sanctis, ille qui dicit: Ego sum lux mundi (Joan. VIII, 12), qui lucet in tenebris, et tenebrae eum non comprehenderunt (Joan. I)? Per diem quippe sol non uret nos, neque luna per noctem (Psal. CXX, 6). Quia habemus Dominum lucem perpetuam, et dies luctus nostri complebuntur, nequaquam plangentibus in subversione Jerusalem, sed laetantibus ex instructione Ecclesiae. Beati quippe lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Beati flentes, quoniam ipsi ridebunt. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (Matth. V). Ut postquam Domini fuerint carne saturati, eructent sermonem Domini, et dicant opera sua regi (Ps. XLIV).

## (Vers. 21, 22.)

Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum haereditabunt terram, germen plantationis meae: opus manus meae ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. Ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud.

LXX: Populus tuus omnes justi semper possidebunt terram: custodiens plantationem, opera manuum suarum in gloriam. Qui parvus est, erit in millibus, et qui minimus, in gentem magnam. Ego Dominus in tempore congregabo eos. Finitis diebus luctus atque completis, quando tristitia vertetur in gaudium, populus Sion erit omnis justus, non ad breve tempus, sed in perpetuum, et quia justus est, terram mitium possidebit. Nec mirandum si ad recipienda promissionis bona, terram mansuetorum teneat atque viventium, quam Propheta suspirat, dicens: Credo videre bona Domini in terra viventium (Ps. XXVI, 13), cum germen plantationis Domini sit, et opus manuum ejus ad glorificandum Deum. Omnis enim, inquit, plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur (Matth. XV). Sive juxta Septuaginta, populus custodiens plantationem Dei, et opera manuum Domini, in gloria servabitur Creatoris. De bona plantatione per Jeremiam loquitur Deus: Ego plantavi te vineam bonam, totam veram, quae in Isaia appellatur vinea Sorec (Isa. V). Et quia Paulus conscientia virtutum loquentis in se Christi, dicere poterat: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (I Cor. XI, 1), ideo ad Corinthios loquebatur: Ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus autem incrementum dedit (I Cor. III, 6). Plantati enim in domo Domini, in atriis ejus efflorescent (Ps. XCI). Tunc qui parvulus fuit, erit in millia, audiens a Domino: Esto habens potestatem super quinque vel decem civitates (Luc. XIX, 17, 19); ita ut appelletur --- Et qui cum Apostolo dixerat: Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia haec (Ephes. III, 8), princeps erit magnae gentis in coelestibus, quando tempore constituto miserit Dominus Angelos suos, et congregaverint ad eum omnes Sanctos, a summitate coeli usque ad summum ejus (Matth. XXIV): non solum de Israel, sed et de gentium populo, quem significans loquebatur: Et alias oves habeo quae non sunt de grege isto, et illas oportet me congregare, ut fiat unus grex, et unus pastor (Joan. X, 16). Hoc autem subito faciet, ut quando omnia fuerint desperata, tunc in gentem

fortissimam congregentur. Quae licet ex parte in Ecclesia quotidie videamus expleri, tamen in mundi consummatione plenius complebuntur, et in secundo Salvatoris adventu.

## (Cap. LXI.---Vers. 1 seqq.)

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem: et praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes. Ut ponerem lugentibus Sion: et darem eis coronam pro cinere: oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris.

LXX: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde: praedicare captivis remissionem et caecis ut videant: vocare annum acceptabilem Domino, et diem retributionis: consolari omnes lugentes: dare lugentibus Sion: dare eis gloriam pro cinere, unctionem laetitiae lugentibus, habitum gloriae pro spiritu moeroris. Ille qui supra dixerat: Ego Dominus in tempore congregabo eos, sive juxta Hebraicum: Ego Dominus in tempore ejus, subito faciam istud, loquitur consequenter, Spiritus Domini Dei super me: non quod Dominus Deus habeat Dominum Deum, sed quod juxta dispensationem carnis assumptae dicat ea quae humilia sunt. Ad quem Psalmista jam dixerat: Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis prae consortibus tuis (Ps. XLIV, 8). Quando enim consortes nominantur, naturam carnis intellige: quia Deus consortes substantiae suae non habet. Et quia erat unctio spiritualis, et nequaquam humani corporis, ut fuit in sacerdotibus Judaeorum; idcirco prae consortibus, id est, caeteris sanctis unctus esse memoratur. Cujus unctio illo expleta est tempore, quando baptizatus est in

Jordane, et Spiritus sanctus in specie columbae descendit super eum, et mansit in illo (Joan. I). De quo et hic idem Propheta dicebat: Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis (Isai. XI, 1, 2). Unde et Salvator cum venisset in Nazareth, in quo nutritus erat postquam baptizatus est in Jordane, ingressus est juxta consuetudinem in die sabbati synagogam eorum. Cumque surrexisset ad legendum, datus est ei liber Isaiae prophetae, quo aperto, invenit scriptum: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me: praedicare captivis remissionem, et caecis visum: dimittere fractos in libertatem, praedicare annum Domini acceptum. Quando convolutum librum reddidit ministro, et sedit; et omnium oculi qui erant in synagoga, attendebant eum, coepitque ad eos dicere: Hodie completa est Scriptura haec in auribus vestris, et omnes testimonium praebebant ei, et mirabantur super sermonibus gratiae, qui egrediebantur de ore ejus. Si ergo illo completa est tempore prophetia, quomodo quidam ad consummationis referunt tempora quae dicuntur: nisi forte possumus hoc dicere, quod tunc ex parte completum sit, plenius esse complendum, quando omnis populus Dei fuerit justus? Nunc enim ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus: Cum autem venerit quod perfectum est, ea quae ex parte sunt, destruentur (I Cor. XIII). Unctus est igitur Spiritu sancto, ut annuntiaret pauperibus, sive mansuetis, dicens eis in Evangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum coelorum (Matth. V, 3). Et: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Ibid. 4). Et missus est ad sanandos eos, qui corde contriti sunt (Luc. IV), et dicunt: Cor contritum et humiliatum Deus non despicit (Ps. L, 19). Sive juxta Symmachum et Theodotionem, ad alliganda vulnera peccatorum, praedicare captivis remissionem, caecis ut videant, vel clausis apertionem, quod manifestius interpretatus est Symmachus, vinctis

solutionem. De quo, immo ad quem supra dicitur: Ecce posui te in lucem gentium, aperire oculos caecorum, educere de vinculis alligatos, et de domo carceris sedentes in tenebris (Isai. XLII, 6, 7). Annum autem acceptabilem, et diem retributionis, omne praedicationis ejus quo in carne versatus est, tempus intellige. Quod et Apostolus Paulus in primo Salvatoris interpretatur adventu, dicens: Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis (I Cor. VI, 2). De quo supra plenius diximus (Ad. cap. LX). Sin autem retributio non in meritis bonorum, sed in poenis accipitur peccatorum, juxta quod dies dicitur ultionis, de Judaico populo sentiendum est, in quem post passionem ejus, statim Dei ira pervenit. Consolatusque est omnes lugentes, dicens: Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. V, 5); ut poneret lugentibus Sion et daret eis gloriam coronamque pro cinere. De quibus fuit et apostolus Paulus qui lugebat Sion atque dicebat: Tristitia enim est mihi et dolor continuus (Rom. IX, 2): Et iterum: Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis, et propinquis juxta carnem qui sunt Israelitae (Ibid., 3). Et propterea lugentes atque plangentes, pro cinere oleum gaudii susceperunt, videntes de Judaeis plurimos credidisse, et stolam accipere mundissimam, pro lugubri vestimento.

## (Vers. 3-5.)

Et vocabuntur in ea fortes justitiae, plantatio Domini ad glorificandum. Et aedificabunt deserta a saeculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas et dissipatas in generationem et generationem. Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra: et filii peregrinorum, agricolae et vinitores vestri erunt.

LXX: Et vocabuntur generationes justitiae: plantatio Domini in gloriam. Et aedificabunt desertas sempiternas, quae desolatae fuerant prius, suscitabuntur, et innovabunt civitates desertas, desolatas in generationes,

et venient alienigenae, et pascent oves tuas, et aliarum gentium aratores et vinitores. Postquam et Apostoli, et Apostolici viri pro cinere et moeroris spiritu, oleum gaudii, et pallium, sive juxta Septuaginta, stolam gloriae laudisque susceperint: tunc vocabuntur generationes justitiae, plantatio Domini gloriosa: vel juxta Hebraicum ELE, per extensam utramque syllabam, fortes, Deique justitiae, aut plantatio Domini ad glorificandum: ut cum glorificati fuerint, vel ipsi glorificaverint Dominum, aedificent desertas a saeculo civitates, et ruinas antiquas suscitent, tam populi Judaeorum, quam cunctarum gentium, qui non solum aedificandi et instaurandi urbes habebunt scientiam; sed et pastores erunt optimi, ut repulsis antiquis pastoribus, quibus per Ezechielem dixerat Deus: O pastores Israel, numquid pascunt semetipsos pastores, et non magis oves (Ezech. XXXIV, 2)? Audiant cum apostolo Petro: Pasce oves meas (Joan. XXI, 17). Mirumque in modum de caementariis atque pastoribus transibunt in agricolas, id est, in aratores et vinitores ut possint cum Apostolo dicere: Dei aedificatio, Dei agricultura sumus (I Cor. III, 9). Denique Scribas et Pharisaeos, vinitores et agricolas Judaeorum, Salvator interrogat, quid faciat vinitoribus malis et agricolis? Illisque respondentibus: Malos male perdet, et vineam dabit aliis agricolis (Matth. XXI, 41); intulit; Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (Ibid., 43). Quae res interpretatione non indiget. Quotus enim quisque Ecclesiarum princeps est de Judaeis, et non de alienigenis, atque externarum gentium hominibus? qui ante idolis servientes, et alieni a testamento Dei, ac peregrini a promissionibus illius, spem non habentes; et sine Deo in saeculo, nunc praesunt Ecclesiis, et dura corda gentilium, priusque indomita, ad fructus ferendos aratro fidei edomant; ut sementem doctrinae Domini, bonorum operum ubertate multiplicent.

## (Vers. 6, 7.)

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, in gloria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt partem suam: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis, quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in haulocausto.

LXX: Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri. Fortitudinem gentium comedetis, et in divitias earum eritis admirabiles. Sic terram secundo possidebunt, et gaudium sempiternum erit super caput eorum. Ego enim sum Dominus, qui diligo justitiam: et odi rapinas ex iniquitate. Aedificatores urbium desertarum et pastores gregum, qui ipsi sunt aratores et vinitores, hoc est, filii peregrinorum, ipsi quoque sunt sacerdotes Dei, ad quos Propheta nunc dicit: Vos autem vocabimini sacerdotes Domini, et ministri Dei nostri, dicetur vobis: haud dubium quin Ecclesiarum principes significet. Vel certe de Apostolis intelligendum est, ut sit ordo: Cum caementarii, pastores, aratores et vinitores de gentibus fuerint Ecclesiis praepositi, vos de quibus dictum est: Reliquiae salvae fient (Rom. IX, 27). Et: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, et similes Gomorrhae fuissemus (Isai. IV, 9), vocabimini sacerdotes, et ministri Dei quales erant et filii David. De quibus Scriptura dicit: Filii autem David erant sacerdotes Dei (II Reg. VIII, 18). Isti fortitudinem gentium comedent, et in divitiis earum admirabiles erunt. Corona enim patrum gloria liberorum, et profectus populi, epulae sacerdotum (Prov. XVII). De istiusmodi divitiis Paulus scribebat ad Corinthios: Gratias ago Deo meo per Jesum Christum, quoniam in omnibus divites facti estis in eo, in omni verbo, et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ut in nullo indigeatis in ulla gratia (II Cor. I, 4 seqq.). Fortitudo autem gentium triumphus est Martyrum: et nos in eorum gloria superbi sumus, non ea superbia quae in vitio est, cui Deus resistit,

ut humilibus det gratiam; sed ea quae pro potentia et gloria accipitur (Jacob. IV). Unde et Moysi cornuta facies erat (Exod. XXXIV), qui dicere poterat: In te inimicos nostros cornu ventilabimus (Ps. XLIII, 6). Et pro superbia gloriae, interpretatus est Aquila, --- id est, purpura vestiemini; ut insigne regii decoris ostenderet. Quodque sequitur: Pro confusione duplici, et pro rubore laudabunt partem suam, quod in Septuaginta non habetur, sic mihi explanandum videtur. Pro eo quod duplicem habebatis confusionem, tam super populo Judaeorum, qui a Deo recesserat, quam super nationibus, quae idolis serviebant, videbitis eos conversos ad timorem Dei, laudare partem suam. Haud dubium quin Dominum, de quo loquebatur et sanctus: Pars mea Dominus (Ps. LXXII, 26). Hoc autem nemo potest dicere, nisi qui aliam partem non habet. Quia igitur vos super eis duplicem habuistis confusionem et ruborem peccati eorum, super quo ipsi non erubescebant, propterea in terra sua, id est, in terra mitium atque viventium, duplicia possidebunt: cum et praesentibus crediderint, et futuris. Et habebunt laetitiam sempiternam. Pro quo in Septuaginta legitur, sic terram secundo possidebunt. Et gaudium sempiternum erit super caput eorum, ut qui possederant terram in Judaeae angustissimis finibus, postea universum orbem possideant. De qua terra Pater loquitur Salvatori: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Ps. II, 3). Hoc autem praestitit Dominus, qui diligit judicii veritatem, et odio habet rapinam in holocausto. Pro quo Septuaginta transtulerunt, rapinam de iniquitate: quasi aliqua sit rapina quae non ex iniquitate consistat. Ergo quod dicit, hoc est: Magis Deus justorum diligit paupertatem, quam divitum munera, quae de rapinis sunt et iniquitate.

## (Vers. 8, 9.)

Et dabo opus eorum in veritate, et foedus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, et germen

eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent eos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

LXX: Et dabo laborem eorum justis, et testamentum aeternum ponam cum eis. Et scietur in gentibus semen eorum, et nepotes eorum in medio populorum. Omnis qui viderit eos, cognoscet illos, quia isti sunt semen benedictum a Deo. Deus qui diligit justitiam atque judicium, et detestatur holocausta violenta (quidquid enim de rapinis est, quasi mercedem scorti reputat, et pretium canis,) ipse eorum qui secundo possederint terram, et quos duplici laetitia coronarit, laborem dabit justis, sive ut melius habetur in Hebraico, in veritate: ut nequaquam sicut in Lege umbra veritatis, sed ipsa sit veritas. Et pactum feriet sempiternum, non quale Moysi dederat, quod praeteriit; sed pactum Evangelii, de quo loquitur Christus: Coelum et terra pertransibunt, verba autem mea non praeteribunt (Matth. XXIV, 35). Et tunc scietur in gentibus semen Apostolicum, et omnes futurae generationes suscipient sementem doctrinae Dei: nequaquam illud dicentes, in quo populus prius circumcisionis errabat dicens: Quid enim aliud, nisi semen quaerit Deus? Omnis qui viderit eos, prima fronte cognoscet, quia semen sit cui benedixerit Dominus. Quis enim ex ordine vitae, mansuetudine, continentia, hospitalitate, cunctisque virtutibus non intelligat populum Dei? Et quis non e contrario detestetur cruentas Israelis manus, adversum quos imprecatur Propheta, dicens: Imple, Domine, facies eorum ignominia (Ps. LXXXII, 17).

## (Vers. 10, 11.)

Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis et indumentis justitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus

semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus.

LXX: Gaudio laetabuntur in Domino, exsultet anima mea in Domino. Induit enim me vestimento salutis, et tunicam laetitiae circumdedit mihi. Sicut sponsum mitra, et sicut sponsam ornavit mundo muliebri, et sicut terram efferentem florem suum, et sicut hortus semina sua germinat: sic Dominus Deus profert justitiam et laudem in conspectu omnium gentium. Principium capituli juxta LXX, qui dixerunt: Gaudio laetabuntur in Domino, fini superioris capituli copulatur. Juxta Hebraeos vero alterius capitis exordium est, in quo introducitur Ecclesia, Christi respondere sermonibus: Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. Nequaquam in patribus, sicut Judaei gloriabantur, dicentes: Semen Abraham sumus, et nemini umquam servivimus (Joan. VIII, 33); sed in Deo, Scriptura dicente: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (Act. IV, 32). Redditque causas laetitiae: Quia induit me vestimento salutis, et indumento, sive tunica justitiae atque laetitiae, quae Hebraice dicitur MAIL, ornavit atque circumdedit. Quotquot enim in Christo baptizati sumus, induimur Christo, et habemus tunicam justitiae: qui factus est nobis sanctitas, justitia, et redemptio (Galat. I). Ponitque similitudinem duorum in Ecclesia agminum, perfectorum atque incipientium (I Cor. I). Perfectos sponsi comparat pulchritudini; incipientes sponsae assimilat ornatui. Perfectus erat Paulus, qui quasi sponsus decoratus corona atque coronandus, sive, ut Aquila transtulit, --- quod in lingua nostra dicitur, sacerdoti portans coronam, loquentis in se Christi auctoritate dicebat: Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de caetero reposita est mihi corona justitiae (II Tim. IV, 7). Et in alio loco: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus (Philipp. III, 15). Incipiens autem erat comparatione plenitudinis, quando ex persona incipientium loquebatur: Cum essem parvulus, sicut parvulus loquebar, sicut

parvulus sapiebam, sicut parvulus cogitabam (I Cor. XIII, 11). Et iterum: Ex parte videmus, et ex parte cognoscimus, donec veniat quod perfectum est (Ibid., 9). Et ideo sponsae assimilatur ornatui, quae ornatur mundo muliebri, sive ut caeteri transtulerunt, vasis, vel monilibus suis. Ponitque alterius comparationis exempla, quorum prius ad sponsum, sequens refertur ad sponsam. Sicut terra profert germen suum, et coelestibus pluviis irrigatur: et sicut hortus semen suum germinat, qui fontium atque fluviorum aquas desiderat: sic, inquit, Dominus germinabit justitiam atque laetitiam coram cunctis gentibus: nequaquam coram Israel, ut supercilium decutiat Judaeorum; sed cunctis gentibus, quae in Ecclesia congregantur.

## (Cap. LXII.---Vers. 1 seqq.)

Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum, et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Erit corona gloriae in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

LXX: Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non relinquam: donec egrediatur sicut lumen justitia ejus, et salutare illius sicut lampas ardeat. Et videbunt gentes justitiam tuam, et omnes reges gloriam tuam, et vocabit te nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona decoris in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Dixerat Dominus atque Salvator, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me (Luc. IV, 18), usque ad eum locum ubi scriptum est: Omnes qui viderint eos, cognoscent, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus (Isai. LXI, 1). Post quam repromissionem, respondit Ecclesia: Gaudens gaudebo in Domino, quae in tertio graduum psalmo, ex persona populi poenitentis, laeta cantavit: Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in

domum Domini ibimus (Ps. CXXI, 1); nunc prophetae introducitur persona dicentis: Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam. Diebus, inquit, ac noctibus ora non claudam, nec mea umquam reticebit oratio; sed tamdiu clamabo, et precibus jungam preces, donec veniat qui promissus est, et splendore suo cunctum orbem illuminet. Quis sit iste quem quaerit, quem venire desiderat, ponit manifestius: Donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. Sive juxta LXX: Donec exeat sicut lux justitia ejus, et salutare illius sicut lampas ardeat. Quae dicebat in Evangelio: Ego sum lux mundi (Joan. VIII, 12): quae cum in Sion et in Jerusalem fuerit accensa, nequaquam in sola splendebit Judaea, sed dicetur ad eam: Lumen quod in te est, accensum est; quod egressum est ex Patre, in tuis coepit ardere finibus, et omnes gentes illuminabit (Matth. VI). Et cuncti reges videbunt inclytum tuum, o Jerusalem et Sion: qui de tua stirpe generatus est, qui in te exaltatus patibulo, omnes traxit ad se: ita ut gentes videant justitiam ejus, qua cunctorum Creator misertus est gentibus: et reges gloriam illius, qua glorificatus in cruce est, et omnia suo imperio regna subjecit. Denique nequaquam vocabitur Jerusalem et Sion, sed nomen novum accipiet, quod ei Dominus imposuerit, dicens ad apostolum Petrum: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam (Matth. XVI, 18). Quod vocabulum a nomine Domini derivavit, ut dicatur Dominicum. Et populus illius nequaquam veteri nomine appelletur Israel, sed novo, id est, christianus. Eritque quasi corona decoris in manu Domini, et quasi diadema regni in manu Dei sui, quando eam coronaverit turba credentium, et diadema imperii, quod Martyres gemmarum suarum varietate distinxerint, fuerit in manu Dei ut filium suum eorum coronet victoriis. Unde et apostolus Paulus loquebatur ad Sanctos: Gaudium et corona mea.

## (Vers. 4.)

Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua habitata, quia complacuit Domino in te: et terra tua inhabitabitur.

LXX: Et nequaquam ultra vocaberis derelicta, et terra tua non vocabitur adhuc deserta. Vocaberis enim voluntas mea, et terra tua habitata. Pro Sion et Jerusalem vocaberis Ecclesia, et Dominicum: pro Judaeis appellabuntur Christiani. Nec hoc eris vocabulorum fine contenta; sed quae prius vocabaris relicta, quod Hebraice dicitur AZUBA, vocaberis EPESI-BA, quod interpretatur voluntas mea in ea; et terra tua quae prius vocabatur SEMEMA, desolata sive deserta, postea vocabitur BULA, quod Aquila interpretatus est --- Symmachus et Theodotio --- Septuaginta οἰκουμένη, quae omnia, habitatam, possessamque significant. Hoc est autem Hebraicae consuetudinis, ut ex eventu rebus vocabula semper imponant: sicut Abram, qui prius dicebatur, pater excelsus: quando audivit repromissionem: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (Genes. XII, 3) appellatus est pater multarum gentium, id est, Abraham. Et Domino Salvatori supra nomen imponitur: Cito spolia detrahe, velociter praedare (Isai. VIII, 1). Filii quoque Zebedaei, quorum unus vocem tonitrui emittere poterat (Marc. III): In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1), appellati sunt BANEREEM, quod interpretatur, filii tonitrui. Quod autem sequitur: Quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur, a Septuaginta praetermissum est, causasque reddidit quare appellatur EPHSI, et quare appellatur BULA, quoniam complacuerit sibi Dominus in Sion, et terram ipsius habitabilem fecerit, quae prius Judaico fuerat errore deserta. Sive hoc ipsum referamus ad Ecclesiam, quae possessa prius ab idolis, deserta fuerat a Deo.

## (Vers. 5.)

Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsa, gaudebit super te Deus tuus.

LXX: Et sicut habitans juvenis cum virgine, sic habitabunt filii tui. Et erit quomodo laetatur sponsus super sponsa, sic laetabitur super te Dominus. Dicit et Apostolus: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam (Ephes. V, 25). Cumque in alio loco posuisset exemplum: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una, intulit, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia (Ephes. V, 31, 32). Si ergo propter brevitatem temporis, quod in arcto est, sic debent viri habere uxores suas, quasi non habeant: quanto magis inter sponsum et sponsam erit sancta conjunctio? Iste est sponsus de quo in duodevicesimo psalmo canitur: Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo (Ps. XVIII, 6). Et ista sponsa quae crebrius in Cantico scribitur Canticorum, quae non habet rugam nec maculam (Cant. IV). Quam Paulus desiderat offerre uni viro virginem castam, ut sit sancta corpore et spiritu (I Cor. II). De qua et sub nomine charissimi, quadragesimus quartus psalmus canit: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (Vers. 10). Sicut igitur sponsus gaudet in sponsa, juvenisque cum virgine, in quibus exemplis sancta conjunctio est: sic Dominus laetabitur in ea, cujus nomina fuerint immutata.

## (Vebrs. 6, 7.)

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt: qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Jerusalem laudem in terra.

LXX: Et super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte qui numquam tacebunt, recordantes Domini: non est enim vestri similis si correxerit, et faciet Jerusalem gaudium super terram. Propheta dixerat: Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, et caetera usque ad eum locum, ubi nunc capitulum terminatum est: Gaudebit sponsus super sponsa: gaudebit super te Deus tuus. Seque promiserat diebus ac noctibus rogaturum, ut Salvator et Justus qui promissus fuerat, adveniret, et instar lampadis totum illustraret orbem. Post quae introducitur persona Dei loquentis ad Jerusalem, id est, Ecclesiam primitivorum, et eam quae in Apostolis ac per Apostolos aedificata est: Super muros tuos constitui custodes, quos vel Angelos, vel Apostolos, et omnes principes ejus atque doctores accipere possumus. Qui custodiunt muros Ecclesiae, ne adversarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens circuit, et quaerit quomodo possit intrare (I Petr. V), occasionem accipiat ad gregem Domini devastandum. Qui custodes nec diebus debent nec noctibus tacere, nec in laetis, nec in tristibus; sed semper Domini clementiam deprecari, ut grex illius et muri Jerusalem custodiantur et vallentur ejus auxilio. Unde et ad eosdem custodes atque doctores sermo dirigitur: O vos qui recordamini Domini, ejusque clementiam die ac nocte precibus fatigatis, cavete ne umquam in ore vestro sileat oratio. Ne detis silentium ei, subauditur, Domino; sed semper molesti sitis, opportune, importune, et imitemini interpella tricem duri judicis. Si enim ille mentis ferociam assidua imprecatione deposuit, quanto magis Pater coelestis bona dabit petentibus se? Tamdiu autem rogare debetis, donec Jerusalem, quae in Judaeis concidit, et in exemplum est atque maledictum, in totius orbis terrarum laude versetur. Mirorque quid voluerint Septuaginta, pro eo quod habetur in Hebraeo, ne detis silentium ei, donec stabiliat et ponat Jerusalem laudem in terra, dicere, cujus sensus in superioribus non cohaeret: Non est enim vobis similis, si corrigat, et faciat Jerusalem gaudium super

terram. Nisi forte hoc artifici eloquio coaptemus, ut dicatur ad custodes Ecclesiae, nullum eorum similem fore qui praedicatione sua fecerint, ut corrigatur, et fiat Jerusalem gaudium omnis terrae.

### (Vers. 8, 9.)

Juravit Dominus in dextera sua et brachio fortitudinis suae. Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis: et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti: quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum: et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis.

LXX: Juravit Dominus per dexteram suam, et per fortitudinem brachii sui, si ultra dedero triticum meum ut sit in cibum inimicis tuis, et si ultra biberint filii alieni vinum tuum in quo laborasti: sed qui congregaverint, comedent ea, et laudabunt Dominum; et qui congregaverint, bibent ea in atriis sanctis meis. Omnipotens Deus, qui dixerat ad Ecclesiam, Super muros tuos constitui custodes, qui perpetuo non tacebunt, quibusque praecipiam, ut numquam orare desistant, nisi impetraverint quod precantur, nunc jurat per dexteram suam et brachium fortitudinis suae. De quo crebro diximus, quod sit Dominus noster atque Salvator, qui juxta Apostolum, Dei virtus est Deique sapientia (I Cor. I). Jurat autem quod triticum et vinum Jerusalem nequaquam cedat in hostium cibos, nec alienigenae labore illius perfruantur; sed quicumque in lacrymis seminaverint, in gaudio metant, et qui messuerint, abjectisque paleis, purum frumentum in horrea congregaverint, ipsi comedant labores manuum suarum, et Dominum aeterna laude sustollant, et bibant vinum in atriis sanctis ejus. Quod vel multas apud Patrem intelligimus mansiones, si de futura in regno coelorum accipimus beatitudine, vel certe Ecclesias in toto orbe divisas, in quibus plantati, postea in domo Domini florebimus. Quando autem dicit: Nequaquam ultra dabo triticum tuum inimicis tuis: et

vinum tuum alienigenae non bibent, in quo laborasti, ostendit laborem antea Judaeorum, et omnia opera eorum a daemonibus fuisse possessa, quando inter Deum et idola fluctuabant, quando eis dicebat Elias: Usquequo claudicatis utroque pede? si Dominus est Deus, sequimini illum (III Reg. XVIII, 21). Et juxta typicam historiam, quae in Judicum libro narratur, veniebant Madianitae, et usque ad Gazam fructus ejus devastabant, ita ut cibus hominum in escas brutorum animantium verteretur (Judic. VI). Hoc est autem triticum, et hoc vinum, quod non comedent nisi laudantes Dominum, et non bibent, nisi in atriis sanctis ejus, de quo Dominus in passione dicebat: Amen amen dico vobis, non bibam de genimine vitis hujus, donec illud bibam novum in regno Patris mei (Marc. XIV, 25). Quae ex parte complentur in Ecclesia, quando dicit Dominus discipulis suis: Bibite, amici mei, et inebriamini, fratres, quod vinum laetificat cor hominis (Ps. CIII). Et in plena luce atque meridie bibitur a Joseph cum fratribus suis (Gen. IV). Et complebitur plenius, quando inebriabitur terra benedictionibus Domini. Triticum quoque de quo panis coelestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus: Caro mea vere est cibus. Rursumque de vino: Et sanguis meus vere est potus (Joan. VI).

## (Vers. 10-12.)

Transite, transite per portas, praeparate viam populo, planum facite iter, et eligite lapides, elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terrae: dicite filiae Sion, Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis quaesita civitas, et non derelicta.

LXX: Ite per portas meas, et viam facite populo meo: et lapides de via projicite. Levate signum in gentes: ecce enim Dominus fecit auditum usque ad extremum terrae. Dicite filiae Sion: Ecce Salvator tuus venit, habens

mercedem suam secum, et opus suum ante faciem suam: et vocabit eum populum sanctum, redemptum a Domino. Tu autem vocaberis requisita civitas, et non de elicta. Praecepit custodibus murorum Jerusalem, quibus ante praeceperat ne tacerent, ne aliquando orare desisterent, ut transeant per portas Jerusalem, et viam faciant populo. Quod semijudaei in ultimo tempore, quando post plenitudinem gentium salvandus est Israel, et ad Dominum rediturus, futurum esse contendunt. Alii vero in regno coelorum explendum putant, quando erit vera laetitia, et unusquisque recipiet secundum meritum suum, ac nequaquam Dominum in humilitate conspiciant, sed in habitu sentiant judicantis, quando veniet super nubes cum Angelorum multitudine, ut reddat unicuique secundum opus suum. Nos autem secundum coeptam explanationem possumus haec et in primo adventu intelligere, ut dicamus praecipi Apostolis et Apostolicis viris, ut ingrediantur et transeant per portas quibus infernus non praevalet, et omnia tollant impedimenta de via, ut absque aliquo scandalo populus Ecclesiam Salvatoris introeat. Unde et Joannes clamabat in eremo. Ego sum vox clamantis in deserto, sicut Isaias dixit: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus: omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur (Joan. I, 23; ad Isai. XL, 3, 4). Aliisque verbis nunc idem sensus dicitur, Elegit lapides vir Ecclesiasticus, qui omnem emollit de credentium corde duritiam. De quibus idem Baptista dicebat: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae (Matth. III, 9). Vel juxta Septuaginta, projicit de via lapides qui infideles a credentibus separat. Quod ne putarent Judaei de se dici, jungitur: Levate signum in gentes, et ad populos nationum, ut nequaquam unius terrae Judaeae ad salutem provocentur angustiae, sed auditum fiat in extremis terrae, ut passionem omnium Creatoris totus mundus exaudiat. Dicite, inquit, filiae Sion. Quae vel ideo appellatur filia Sion, quia primum orta est ex Judaeis, de qua dicit in Cantico Canticorum: Filii matris meae

pugnaverunt adversum me (Cant. I, 5); vel certe propterea filia, quia a Deo adoptionis nomen accepit. Quotquot enim susceperunt eum, dedit eis potestatem ut filii Dei fierent (Joan. I). Quid est autem quod jubentur magistri atque doctores Sion filiae nuntiare? Ecce Salvator tuus venit, qui in Hebraico dicitur Jesus. Unde et Gabriel ad Joseph: Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Matth. I, 21). Qui Salvator, credentium judex est omnium, ut reddat unicuique secundum opera sua: justis praemia; peccatoribus aeterna supplicia (Matth. XVI). Et vocabit, inquit, eos ipse Dominus atque Salvator. Sive juxta Hebraicum, vocabunt eos Apostoli et Apostolici viri, populum sanctum et redemptum a Domino, qui redempti sunt Christi sanguine. Ipsa quoque civitas nequaquam appellabitur derelicta, ut prius vocata fuerat, vel in Judaeis, propter negotiationem? vel in gentibus, propter idololatriam, sed requisita, ut Hebraice dicitur DRUSA; ut pro augmentis et varietate virtutum, nova semper accipiant nomina.

## (Cap. LXIII.---Vers. 1.)

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae.

LXX: Quis est iste qui venit de Edom, fulvis vestibus de Bosor? Sic formosus in stola sua, violentia cum fortitudine. Omnem hunc locum ab eo loco, ubi juxta LXX dicitur: Illuminare, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est (Cap. LX, 1), usque ad praesens capitulum, ubi dicitur: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? multi nostrorum referunt ad finem mundi, in quo sive carnaliter, sive spiritualiter (diversa enim sententia plurimorum est) explenda contendunt. Nos autem quia et supra in hoc eodem capitulo legimus: Spiritus Domini super me,

propter quod unxit me, annuntiare pauperibus misit me: quod Dominus atque Salvator, lecto Isaiae volumine, in Synagoga Judaeorum super se expletum esse monstravit dicens: Hodie completa est haec Scriptura in auribus vestris (Luc. IV, 21); et nunc de eodem dicitur, quod post passionem ad Patrem cruentus ascenderit, necessitate compellimur, omnia quae dicuntur, in primo accipere Salvatoris adventu. Neque enim fieri potest, quod plerique nostrorum facere nituntur, ut varientur tempore, quae operibus copulata sunt; nec negamus sudoris esse maximi, haec omnia sibi conjungere, et sic spiritualiter explenda in consummatione monstrare, ut in Christo et juxta carnem et juxta spiritum, jam completa doceamus. Quia igitur venit filiae Sion Salvator, cujus merces cum eo est, et opus illius coram illo; et egressus est justus ut splendor, et Salvator accensus est ut lampas, gavisusque sponsus super sponsa sua Ecclesia, immo exsultavit super eam Deus suus, qui ipse et sponsus et Dominus est: propterea secundum assumptionem carnis, et passionem crucis dicitur ad eum: Ut intingatur pes tuus in sanguine (Ps. LXVII, 24). Et sub Judae vocabulo in Genesi prophetatur, Juda, te laudabunt fratres tui: Manus tuae in cervicibus inimicorum tucrum, (Gen. XLIX, 8 et seqq), adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena: quis suscitabit eum (Gen. XLIX, 8, 9)? Et iterum: Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam; lavabit vino stolam suam, et sanguine uvae pallium suum (Ibid., 11). Iste est quem Angelicae potestates videntes ad Patrem ascendere cruentum, imperant caeteris Angelis, et ab eis audiunt: Levate portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus fortis in praelio (Psal. XXIII, 7, 8). Et iterum: Dominus virtutum, ipse est rex gloriae (Ibid., 10.) Haec praemisimus, ut cum aliis testimoniis etiam praesens capitulum congruere doceamus. Unde et in Cantico dicitur Canticorum: Fratruelis meus rubicundus et

candidus (Cant. V, 10); rubicundus in passione; candidus in resurrectione. Interrogant igitur Angeli, rei novitate perterriti (Mysterium enim passionis et resurrectionis Christi secundum apostolum Paulum (I Cor. II), cunctis retro generationibus fuerat ignoratum). Quis est iste qui de terra Edom cruentus advenit? EDOM quippe in linguam nostram et terrenus et cruentus exprimitur. Tinctis vestibus de Bosra? Quod multi pio errore lapsi, putant de carne Domini intelligi: id est, BASAR, quod verbum si carnem significaret, scriberetur per mediam litteram SIN, nunc autem per SADE scribitur, et interpretatur firma atque munita: quod vel de Jerusalem accipimus (Psal. LIX, 11). quae firmissimis muris fuit ante circumdata, in qua passus est Dominus; vel de inferno, de quo in quinquagesimo nono et in centesimo septimo psalmo scriptum est: Quis deducet me in civitatem munitam (Psal. CVII, 11)? in qua clausae sunt animae mortuorum, et circumdata est firmissimis custodiis. Sciendum quoque quod juxta historiam BOSRA non sit in Edom, sed in Moab. Sequitur: Sic formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. De quo et quadragesimus quartus psalmus canit: Formosus decore prae filiis hominum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna (Psal. XLIV, 3-5). Pro quo Septuaginta transtulerunt, violentia cum fortitudine. Quod quem sensum habeat prudens lector inquirat.

Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

LXX: Ego qui loquor justitiam, et judicium salutaris. Respondit Dominus interrogantibus Angelis: Quaeritis qui sim, qui ad coelos cruentus ascendam, et sanguis quo aspersus sum, non mihi deformitatem tribuerit, sed decorem? Ego sum cui Pater tradidit omne judicium (Joan. V). De quo et Psalmista dicebat: Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (Psal. LXXI, 1). Qui loquor

justitiam: ut malis mala, et bonis retribuam bona; qui veni pugnare contra adversarias potestates, et captivis praedicare remissionem, et vinctos de carcere liberare, ut et adversarii poenas, et captivi sentiant libertatem.

## (Vers. 2.)

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium torcular?

LXX: Quare rubra sunt vestimenta tua, et indumenta tua sicut calcantium torcular, plenum conculcatum? Ubi nunc dicitur, rubrum, in Hebraeo legitur EDOM. Ergo et supra ubi scribitur Edom, non loci vocabulum est, sed nomen sanguinis. Rursum autem Angeli sciscitantur et dicunt: Didicimus quod tu sis, qui loqueris justitiam, et salus omnium in tuo sit judicio constituta. Nunc scire volumus, quare vestimenta tua sint velut musto tincta, aut quid causae exstiterit, ut tunicam quae desuper texta est, et scindi non potest, et de utero virginali tantum candorem habuit, quantum nullus fullonum possit facere super terram, sanguine cruentares? Magis enim tibi clementia convenit, quam crudelitas: magis candor, quam cruor. Quibus respondit Dominus, non uno versiculo, ut prius, sed multis verbis: ut omnia doceat ignorantes, ne rursum quaerere compellantur.

## (Vers. 3 seqq.)

Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meae venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non erat qui adjuvaret. Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione

mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Septuaginta pro eo quod nos diximus, torcular calcavi solus, interpretati sunt, plenum conculcatum, quod magis cum superiori capitulo legendum est, quam ut sit sequentis principium. Caetera sic transtulerunt. Et de gentibus vir non est mecum, et conculcavi eos in furore meo, et confregi eos quasi terram, et deduxi sanguinem eorum in terram, et omnia vestimenta mea inquinavi. Dies enim retributionis venit eis, et annus redemptionis adest. Aspexi, et non erat auxiliator: consideravi, et nullus qui praeberet auxilium; et eruit eos brachium meum, et furor meus advenit, et conculcavi eos in ira mea, et deduxi in terram sanguinem eorum. Pro torculari quod Hebraice dicitur GETH, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit PHURA. Sed melius in hoc loco Symmachus, quem et nos secuti sumus. Verbum enim PHURA ambiguum est, et tam torcular, quam laguncula plerumque significat. Dicendum est itaque de torculari, quod juxta Scripturae sanctae consuetudinem, interdum pro ultione atque suppliciis ponitur peccatorum, interdum in congregatione novorum fructuum. Pro poenis ponitur atque tormentis, quando Jeremias in Lamentationibus plangens eversionem Jerusalem loquitur: Torcular calcavit Dominus virgini filiae Juda, ideo ego ploro (Thren. I, 15, 16). In bonam partem inscribuntur psalmi pro torcularibus octavus et octogesimus tertius. De quibus in suis locis, si vita comes fuerit, Domino praebente, dicetur. Hoc torcular, in quo et malis supplicia, et bonis praemia a Salvatore calcantur, solus ipse calcavit, nullumque habuit adjutorem. Neque enim Angelus, aut Archangelus, Throni, Dominationes, aut ulla coelestium potestatum, humanum corpus assumpsit, et pro nobis passus est, et conculcavit adversarias fortitudines, atque contrivit: nisi ille qui loquitur in psalmo: Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus (Psal. XI, 1); in tantum, ut etiam confidentissimus, et in fidei veritate firmissimus apostolus Petrus, timore territus fugerit, immo Dominum negarit (Matth. XXVII). Quodque sequitur: Et aspersus est sanguis

eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea pollui, nequaquam sic intelligendum, ut daemones et adversarias potestates sanguinem habere credamus: sed tropologice accipienda sunt omnia, quando clementissimus Deus ad erudiendum populum suum, et captivitatis vinculis liberandum, hostes ferire compellitur. Dies enim, inquit, ultionis in corde meo: annus redemptionis meae venit. De quo et supra (Ad cap. LXI) legimus, in bonam partem praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis Deo nostro; et nunc tam in malam quam in bonam. In malam: Dies enim ultionis in corde meo. In bonam: Annus redemptionis meae venit; ut eo tempore quo puniuntur adversarii, Dei populus liberaretur, immo redimatur pretioso sanguine agni qui in Joannis Apocalypsi dicitur trucidatus. De hac retributionis die et Moyses sancto Spiritu prophetabat: Et retribuet vindictam inimicis, et odientibus se restituet. Circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non erat qui adjuvaret (Deut. XXXII, 41). Qui et in psalmo dixerat: Et exspectavi qui contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni (Psal. LXVIII, 21). Ipse enim cum esset in forma Dei, non est rapinam arbitratus aequalem se esse Deo, sed semetipsum exinanivit (Philipp. II), formam servi accipiens, et factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, et propterea donavit ei nomen super omne nomen, ut salvaret sibi credentes dextera sua; et indignatio ejus quae erat contra adversarios, Dei populum liberaret. Sive eruit credentes in brachio suo, et furorem suum ultra non distulit: deduxitque sanguinem eorum in terram, vel daemonum ροπικῶς, vel certe sanguinem Judaeorum: pro quo caeteri interpretes, contentionem transtulerunt; qui omni studio nitebantur, ut vinctum populum dimitterent.

## (Vers. 7.)

Miserationum Domini recordabor; laudem Domini super omnibus quae reddidit nobis Dominus, et super

multitudinem bonorum domui Israel, quae largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem miserationum suarum.

LXX: Misericordiae Domini recordatus sum, virtutes Domini recordabor in omnibus quae reddidit nobis: Dominus judex bonus domui Israel, retribuet nobis secundum misericordiam suam, et secundum multitudinem justitiae suae. Finito, ut nos arbitramur primo, ut plerique aestimant secundo Salvatoris adventu, in quo subauditur, judicantis, immo pugnantis vox, suosque et populi sui adversarios trucidantis, cruentus victorque describitur: incipit alia --- in qua ex persona populi Propheta loquitur, enarrans beneficia in se Dei, et sui cordis duritiam, ob quam et Jerusalem incendio, et Israel captivitati traditus sit. Quod Judaei ad Babylonica referunt tempora. Nos autem ordine et ratione monstravimus, de praesenti dici tempore, in quo Romanis serviunt, et excluso Israele, gentium turba successit. Curramus igitur per singula orationis membra, et ea, ne laciniosa sit expositio, breviter edisseramus. Pressus pondere malorum, in nullo alio nisi in Dei misericordia spem habeo; qui facit misericordiam in millia diligentibus se, et extendit misericordiam suam his qui cognoscunt eum. Ex quo ostenditur, diligentibus et cognoscentibus Deum, misericordiam Domini subvenire. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei (Rom. IX). Et nisi Dominus aedificaverit domum, et custodierit civitatem, in vanum vigilat qui aedificat et custodit eam (Ps. CXXVI). Ipse enim virtutem tribuet, ut faciamus fortitudinem, et possimus dicere: Fortitudo mea et auxilium, et refugium meum in die malorum meorum (Jerem. XVI). Quae in praesenti loco, non pro vitiis atque peccatis, sed pro angustiis debemus accipere. Quod autem juxta Septuaginta sequitur: Virtutes Domini recordabor in omnibus quae retribuit mihi, pro quo in Hebraico, laudes Domini, continentur, signa intelligamus atque miracula, pro quibus ponuntur saepe virtutes, ut ibi:

Gloriam meam alteri non dabo, nec virtutes meas sculptilibus (Isai. XLII, 8). Et alibi: Virtutes ejus in insulis nuntiabunt, vel gentibus totius mundi, vel Ecclesiis quae firma mole fundatae sunt, et feriuntur potius quam subvertuntur. Interdum virtus nequaquam pro fortitudine accipitur atque miraculis: sed pro conversatione bona, ut illud est Apostolorum, Petri: Ministrate in scientia vestra virtutem (I Petr. I, 5); et Pauli: Si qua virtus, et si qua laus (Philip. IV, 8). Juxta quod et in alio loco dicitur: Melior est sterilitas cum virtute. Prior virtutis intelligentia Deo: secunda hominibus convenit. Pro eo autem quod nos interpretati sumus: Super omnibus quae reddidit nobis Dominus, quod potest et in bonam et malam partem accipi, Symmachus manifestius in bonorum posuit retributione, dicens: Pro omnibus, in quibus benefecit nobis, et pro multitudine bonitatis, quam super domum Israel exercuit. Pro quo Septuaginta transtulerunt: Dominus judex bonus domui Israel, retribuit nobis secundum misericordiam suam, et secundum multitudinem justitiae suae. Hoc autem non potest dicere, nisi ille qui intelligit juste sustinere quae patitur. Denique in septuagesimo secundo psalmo, cujus exordium est: Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde, loquitur propheta ex persona eorum, qui Dei judiciis perturbantur: Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei, pacem peccatorum videns, et caetera, usque ad finem psalmi. Unde apostolus Paulus qui Dominum judicem bonum justumque cognoverat, loquitur confidenter: Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi justus judex. Non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum Domini et Salvatoris nostri (II Tim. IV, 8). Nec est inter bonum et justum, ut haeretici volunt, ulla distantia, eodem scribente: Ergo lex sancta est, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (Rom. VII, 12), ut videlicet bonitas in genere, et justitia intelligatur in specie. Quamobrem scribit ad Romanos: Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori (Rom. III. 7).

## (Vers. 8 seqq.)

Et dixit: Verumtamen populus meus est; filii non negantes: et factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et Angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et levavit eos cunctis diebus saeculi. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt spiritum sancti ejus; et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos.

LXX: Et dixit: Non populus meus, filii nequaquam reprobabunt. Et factus est eis in salutem ex omni tribulatione eorum: non legatus, neque Angelus, sed ipse salvavit eos, quod diligeret illos, et parceret eis, ipse redemit eos, et suscepit illos, et exaltavit omnibus diebus saeculi. Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt Spiritum sanctum ejus: conversus est eis in inimicum, ipse pugnavit contra eos. Ubi nos interpretati sumus: In omni tribulatione eorum non est tribulatus, quod Hebraice dicitur LO, et est negantis adverbium, pro non, legi potest et ipse, ut sit sensus: In omni tribulatione eorum ipse est tribulatus, id est, Deus: ut non solum peccata, sed et tribulationes nostras ipse portaret. Ipse enim infirmitates nostras portat, et pro nobis dolet. Porro Septuaginta posuerunt aliud quod in Hebraeo non habetur, non legatus, neque Angelus, sed ipse salvavit eos: de quo in suo dicemus loco. Dixit igitur Deus qui justus est judex domui Israel, et austeritatem justitiae clementia mitigat judicantis: Genui quidem filios et exaltavi, et ipsi spreverunt me. Verumtamen quia populus meus sunt, et semel filii nominati, non peribunt in perpetuum; si me spernere et negare desierint, sentient Salvatorem: quia in omni tribulatione eorum ipse tribulatus est. Sive non est tribulatus, ut parumper eos desereret, et nudatos auxilio suo cogeret ad rogandum. Vel certe nequaquam tribulavit eos, sed e contrario, caeteris persequentibus, adjutor fuit, misitque Angelum suum, qui eos de periculo liberaret. Aut

juxta Septuaginta, non per Angelos et Prophetas, et alios sanctos viros salvare voluit populum suum; verum ipse descendit ad oves perditas domus Israel, ut ovem morbidam suis humeris reportaret, et drachmam quae perierat inveniret, et luxurioso filio revertenti laetus occurreret. Propter quod sponsa dicit in Cantico Canticorum: Osculetur me osculis oris sui. Nequaquam per Patriarchas, Moysen, et Prophetas, sed meum corpus assumat, in mea carne versetur, Verbum caro fiat, et sic osculetur me habitans in me, ut sit Emmanuel. Nequaquam igitur ut legatus, nec ut Angelus, sed ipse salvabit eos qui receperunt salutem: non operum merito, sed charitate Dei. Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quod si prudens lector tacita cogitatione responderit; quare multi non sunt salvati, si ipse salvavit eos, et dilexit, et pepercit filiis suis, et redemit eos sanguine suo, suscepitque et exaltavit assumptos? infertur causa perspicua. Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt Spiritum sanctum ejus, sive sancti illius, quod Hebraice dicitur CADESO. Voluit itaque Deus salvare cupientes: et provocavit ad salutem, ut voluntas haberet praemium; sed illi credere noluerunt. Alioquin et de Joanne scriptum est: Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit, ut praeberet testimonium luci, ut omnes crederent per eum (Joan. I, 6). Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt, sed voluntas venientis haec fuit, ut omnes crederent et salvarentur. Sin autem qui exasperaverit et afflixerit Spiritum sanctum, vel Sancti ejus, id est, Christi, Deum exasperat: ejusdem Spiritus sanctus cum Patre Filioque naturae est. Quamobrem Apostolus praecipit: Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis (Ephes. IV, 30). Qui Spiritus sanctus recedit a corpore subdito peccatis: et in perversam animam non ingreditur sapientia (Sap. I). Unde et David conscientia peccatorum, ne Spiritum sanctum perderet, precabatur dicens: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me (Ps. L, 13). Ut

autem sciamus, omnem qui exasperat Spiritum sanctum, Deum offendere, et de amico inimicum et hostem fieri, Petrus apostolus significantius in Apostolorum Actibus loquitur: Quare convenit vobis mentiri Spiritui sancto? non estis hominibus mentiti, sed Deo (Act. V, 9). Iste est Spiritus sanctus, de quo in Evangelio Dominus dicebat: Si diligitis me, mandata mea servate: et ego petam Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut sit vobiscum in sempiternum, Spiritum veritatis (Joan. XIV, 15, 16). De quo et in Sapientia reperimus, quae nomine Salomonis scribitur: Sanctus enim Spiritus disciplinae fugiet dolum, et recedet a cogitationibus stultis (Sap. I, 5).

## (Vers. 11 seqq.)

Et recordatus est dierum saeculi, Moysi, populi sui. Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suae: qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos quasi equum in deserto non impingentem. Quasi animal in campo descendens, Spiritus Domini ductor ejus fuit: sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriae.

LXX: Et recordatus est dierum antiquorum qui eduxit de terra pastorem ovium. Ubi est qui posuit in eis Spiritum sanctum? qui eduxit dextera Moysen brachium gloriae suae. Sic eduxit populum suum per validam aquam in conspectu ejus, ut faceret sibi nomen sempiternum. Adduxit eos per abyssum sicut equum per solitudinem, et non laboraverunt. Et sicut jumenta per campum descendit Spiritus a Domino, et dux eorum fuit: sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriae. Dominus qui de protectore factus est adversarius populi Judaeorum, qui ad iracundiam provocaverunt Spiritum sanctum ejus, et debellavit eos: ipse recordatus est antiquorum dierum, quando pro eis S. Moyses in eremo deprecatus est,

dicens: Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti (Exod. XXXII, 31, 32). Veteris igitur Isaias recordatus historiae, dicit: Ubi est ille Moyses qui eduxit eos de Rubro mari? ubi est pastor ovium? Ubi ille qui cum caeteris pastoribus gregis Domini laboravit? Qui impetravit, et posuit Spiritum Dei oratione et precibus suis, in grege Domini? Aut certe ita intelligendum: ubi est illa clementia Domini, qua quondam misertus est populo suo, ut Spiritus quoque sancti eis gratiam tribueret: Qui eduxit in dexteram partem, non in sinistram, Moysen servum suum brachio majestatis suae: qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum; ut usque in praesentem diem illius potentia narraretur? Duxit enim populum suum per immensas aquarum abyssos, quasi equum per solitudinem, et jumenta per planum, et Spiritus Domini ductor ejus fuit, id est, gregis Domini (Exod. XIV). Spiritum autem hic Angelum debemus intelligere, qui ductor fuit populi Israel, juxta illud quod scriptum est: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (Ps. CIII, 4). Et in Epistola ad Hebraeos: Isti sunt administratorii spiritus, qui mittuntur in ministerium, propter eos qui possessuri sunt salutem (Hebr. I, 14). Consideremus illud quod in Actibus Apostolorum scribitur: Spiritus Domini rapuit Philippum, et non vidit eum ultra eunuchus (Act. VIII, 39): an super Angelo debeamus accipere. Sunt qui Angelum in Spiritu sancto haec fecisse testentur. Manifesta percurrimus, ut in obscurioribus immoremur.

## (Vers. 15 seqq.)

Attende de coelo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriae tuae. Ubi est zelus tuus et fortitudo tua? multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum super me continuerunt se. Tu enim pater noster: et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Tu Domine pater noster, redemptor noster a saeculo nomen tuum.

LXX: Convertere de coelo, et vide de domo sancta tua, et gloriae tuae: ubi est zelus tuus et fortitudo tua? ubi est multitudo misericordiarum tuarum, et miserationum tuarum qua sustinuisti nos? Tu enim es pater noster, quia Abraham non cognovit nos, et Israel non cognovit nos. Sed tu, Domine pater noster, libera nos: a principio nomen tuum super nos est. Qui tanta populo praestitisti, quae superior sermo narravit, ut spiritus quoque tui dignos nos consortio duceres, nunc quoque attende de coelo, et vide opera nostra, si tamen te digna sunt. Quare avertis faciem tuam a nobis? Coelum autem dicitur habitaculum sanctum, et domus gloriae ejus (Psal. XLIII), juxta illud: Coelum mihi thronus est: terra autem scabellum pedum meorum (Isai. LXVI, 1); et in alio loco: Qui habitat in coelis, irridebit eos; et: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelo (Psal. CXII, 1). Non quo omnipotens Deus, qui tenet coelum palma et terram pugillo, ullo claudatur loco; sed quo quae sanctiora sunt, illius locus et habitaculum esse dicantur. Denique Salomon qui aedificavit domum Dei, ad eum precans loquitur: Coeli coelorum et terra non sufficiunt tibi (Eccli. XVI, 18). Et in Oratione Dominica dicitur: Fiat voluntas tua sicut in coelo, ita et in terra (Matth. VI, 10). Ubicumque ergo fit voluntas Dei, illud est habitaculum ejus, et domus Dei. Quod autem sequitur, Ubi est zelus tuus et fortitudo tua? Illo testimonio disseramus, quod per Ezechiel ad Jerusalem dicit Deus, quae secuta fuerat amatores suos: Jam non irascar tibi, et zelus meus recessit a te (Ezech. XVI, 42). Et est sensus: Quia peccavimus et nos odisse coepisti, recessit a nobis zelus tuus, qui non recedit quando loquitur per Zachariam: Zelatus sum Sion et Jerusalem zelo magno (Zach. I, 14). Unde et in consequentibus ait: Et irascar super gentes quae congregatae sunt adversum eam in circuitu. Recedente autem zelo, recedit et fortitudo Dei, et paternorum viscerum superatur affectus, dum magnitudine peccatorum incredibilis Dei clementia vincitur, ut contineat se super auxilio meo, qui me oppressum videre

non poterat. Tu enim, inquit, es pater noster, qui creator es omnium. Nescit nos Abraham, et ignorat Israel, quia te offendimus, nec cognoscunt filios, quos a Deo suo intelligunt non amari. Subita nascitur quaestio, quare Abraham et Israel, hoc est, Jacob posuerit, et Isaac nomen tacitum sit (Gen. XXXII)? Ad quod respondebimus, principio et fine posito, etiam media nominari. Sive ita: Abraham de gentibus vocatus ad fidem est, et pro qualitate prioris et consequentis conditionis, mutationem sortitus est nominis. Jacob quoque ut appellaretur Israel, multo ad id labore pervenit. Unde et Abraham tres habuit uxores, et Jacob quatuor: Isaac vero ab initio usque ad finem nomen possedit antiquum, et Ecclesiae indicans castitatem, una fuit uxore contentus. Isti igitur qui precantur de peccatoribus commutationem in meliorem statum, eorum assumunt similitudinem, quibus laeta post tristia successerunt. Hoc autem est omne quod postulant, ut quia pater eorum est, et hoc eos dignatus est nomine, non obliviscatur filiorum suorum; ne per ipsos nomen Dei blasphemetur in gentibus.

## (Vers. 18, 19.)

Quare errare nos fecisti. Domine, in viis tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te? convertere propter servos tuos tribus haereditatis tuae. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio: cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

LXX: Quare seduxisti nos, Domine, de via tua sancta: indurasti corda nostra, ut non timeremus te? convertere propter servos tuos, propter tribus haereditatis tuae, ut modicum possideamus montis sancti tui: adversarii nostri conculcaverunt sanctuarium tuum: facti sumus quasi a principio cum non dominareris nostri: neque invocatum est nomen tuum super nos. Epistola quam scribit Paulus

ad Corinthios, cum ad unius scribatur populum civitatis, pro varietate habitantium, id est, sanctorum et peccatorum, nunc laudat eos, nunc corripit, nunc docet, nunc reprehendit, provocat ad continentiam; nuptias non recusat; retrahit ab idololatria; instruit resurrectionem; digamiae porrigit manum, ne locum tribuat fornicationi. Hoc diximus, ut praesens quoque capitulum, quod omne ex populi Deum deprecantis oratione contexitur, vel justorum intelligamus esse, vel peccatorum: et nunc laudare Dominum, nunc movere Domino quaestionem, et suam culpam referre in Deum. Unde et post caetera etiam hoc loquuntur: Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis, vel seduxisti nos de via tua: indurasti cor nostrum ne timeremus te? Non quo Deus erroris causa sit et duritiae, sed quo illius patientia, nostram exspectantis salutem, dum non corripit delinquentes, causa erroris duritiaeque videatur. Unde quibusdam vehementer iratus, a percutiendo manum suspendit, et loquitur: Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae, et super sponsas vestras cum adulteraverint (Osee IV, 14). Flagellat enim omnem fillum quem recipit, et ad hoc percutit ut emendet (Hebr. XII). Denique qui nequaquam filiorum vocabulum perdiderunt, sed per poenas retrahuntur ad poenitentiam, dicit de eis: Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eis (Psal. LXXXVIII, 33). Est enim tristitia quae ducit ad vitam, et est tristitia quae ducit ad mortem. Unde et peccator loquitur in psalmo: Declinare fecisti semitas nostras a via tua, et humiliasti nos in loco afflictionis (Psal. XLIII, 19). Et per quadraginta annos errat populus in deserto; ut priorem viam non inveniat, nec ad Aegyptios revertatur (Num. XXXII). In Osee quoque sepiuntur semitae Jerusalem, et clauduntur spinis; ne sequatur amatores suos, et necessitate compulsa, revertatur ad virum suum pristinum (Osee II). Et Pharaonis dicitur Deus indurasse cor, ne dimitteret populum ejus, et ut decem plagis affligeretur (Exod. IV). Quam quaestionem diligentissime Paulus

disseruit ad Romanos (Rom. IX). Et nos in quodam opere perstrinximus. Convertere, ait, Domine, sive converte nos propter servos tuos, Abraham et Israel, qui non cognoverunt nos, vel quos esse in populo credimus. Quasi ad nihil enim et absque ullo labore populum tuum sanctum possederunt adversarii nostri. Sive converte nos, ut juxta Septuaginta, paululum possideamus montis sancti tui, quia totum montem tuum possidere non possumus, ut cum partem habuerimus, veniamus ad plenitudinem ejus et contemplemur gloriam Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis (Joan. I). De quo in hoc eodem propheta dicitur: In novissimis diebus manifestus erit mons Domini (Isai. II, 2). De eo autem quod supra positum est: Quare errare nos fecisti (Isa. LXIII, 17)? quo sensu accipiendum sit, plenissime docet Jeremias: Seduxisti me, Domine, et seductus sum: tenuisti, et potuisti [Al. posuisti] (Jerem. XX, 7). Dum enim mihi clementiam polliceris, et quasi misericors pater dissimulas duritiam, et artifex medicus abscondis ferrum acutissimum, ne aegrotantem terreas antequam cures, fecisti me negligentem; propter quod et de Jerusalem dicit Deus: Ecce ego seducam eam, et ponam eam quasi desertum, et statuam eam sicut terram absque aquis, et loquar ad cor ejus: et dabo possessiones ejus inde, et vallem Achor ad aperiendam intelligentiam (Osee I, 14, 15). Consideremus ordinem singulorum: seducit eam, et facit esse desertam, et absque aqua, ut virtutum patiatur sitim. Quae postquam dixerit: Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (Psal. XLI, 2), tunc loquetur ad cor ejus, et lugentem consolabitur. Et dabit ei possessionem inde, hoc est, de poenitentia et moerore qui operatur salutem. Et humilitas conturbati cordis ejus (hoc enim interpretatur vallis Achor) aperit intelligentiam, ne ignoret Creatorem suum. Hostes, ait, nostri conculcaverunt sanctuarium tuum. Haud dubium quin Templum significet, quod victores calcavere Romani. Et facti sumus sicut in principio antequam vocaremur in Abraham, et dum essemus in Aegypto, non habentes Deum, nec reges, nec

principes, nec Prophetas, nec Legem mandatorum Dei (Ose. III), quae omnia post passionem completa sunt Domini, hodieque complentur. Dicentibus enim illis: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (Matth. XXVII, 25), manet maledictio sempiterna, et non dominatur eorum Deus, neque invocatur nomen illius super eos, dum nequaquam Dei populus nuncupatur.

## (Cap. LXIV.---Vers. 1 seqq.)

Utinam disrumperes coelos et descenderes: a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, et a facie tua montes defluxerunt.

LXX: Si aperueris coelum, tremor apprehendet ex te montes: et liquescent sicut cera a facie ignis liquescit, et comburet ignis adversarios: et manifestum erit nomen tuum in adversariis: a facie tua gentes turbabuntur. Cum feceris gloriosa, tremor apprehendet ex te montes. Quoniam hostes nostri conculcaverunt sanctuarium tuum, et facti sumus quasi in principio, quando non invocabatur nomen tuum super nos: propterea deprecamur et dicimus: Utinam disrumperes coelos, et descenderes; et qui semper promitteris, tu aliquando promissa compleres. Hoc autem eo tempore dicebatur, quando necdum Salvator advenerat, nec de utero virginali naturae nostrae atque substantiae assumpserat hominem quem salvaret: ut sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem supercoelestis (I Cor. XV). Quod si faceres, inquiunt, et aperirentur coeli, sive coelum, ad adventum majestatis tuae montes defluerent, vel tremor apprehenderet montes, et consumerentur, sicut cera a facie ignis consumitur. Et Ezechieli aperti sunt coeli, et vidit visionem magnam (Ezech. I). Sed et S. Moyses in Deuteronomii benedictionibus imprecatur: Aperiat tibi

Dominus thesaurum suum bonum, coelum, ut det tibi benedictionem (Deut. XXVIII). Et in Evangelio (Matth. III) Baptista Joannes vidisse narratur [Al. testatur] coelos apertos, et Spiritum sanctum super Dominum in specie columbae descendentem. Montes autem qui ad adventum Domini, de quo scriptum est: Deus ignis consumens (Deut. IV, 24), instar cerae consumentur et liquefient, adversariae potestates sunt, et omnes qui se erigunt adversum scientiam Dei. De quibus et in nonagesimo sexto psalmo canitur: Vidit, et commota est terra. Montes liquefacti sunt sicut cera a facie Domini, a facie Dei universae terrae (Psal. XCVI, 4, 5). Si enim tu descenderes, et tua promissa compleres, tabescerent (juxta Symmachum) aquae maris et omnem salsuginem earum ignis ille consumeret. De quo et in alio psalmo scriptum est: Sicut deficit fumus, deficiant: sicut consumitur cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (Ps. LXVII, 2). Et hoc notandum quod cum aquae maris divino fuerint igne consumptae, tunc notum fiat nomen Domini Salvatoris inimicis ejus. De quibus in sexagesimo septimo psalmo dicitur: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso; ut quem beneficiis non senserant, urbis suae subversione et propria captivitate cognoscant. Et a facie illius gentes turbabuntur, sive ut significantius in Hebraico dicitur, movebuntur: ut quae prius immobiles erant, veniant ad salutem. Cumque mirabilia fecerit, et ostenderit signa in Evangelio, quae quondam ostendit in Aegypto et in solitudine, confitebuntur se gloriam adventus ejus ferre non posse, sive quod tremor apprehenderit montes. Pulchreque juxta Hebraicum, quasi exauditi essent qui supra fuerant deprecati: Utinam disrumperes coelos et descenderes, a facie tua montes defluerent, postea inferunt: Descendisti, Verbum caro factum es, et habitasti in nobis, vere Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Et ideo a facie tua omnes montes defluxerunt, de quibus supra diximus. Hebraei hunc locum ita edisserunt: Sic comburet ignis iniquos, quomodo aquae fervent ignis ardore; AMASIM enim non

consumptionem et tabem, ut caeteri interpretati sunt, sed iniquos intelligi volunt.

## (Vers. 4, 5.)

**A saeculo non audierunt: neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te quae praeparasti exspectantibus te. Occurristi laetanti et facienti justitiam in viis tuis: recordabuntur tui.**

LXX: A saeculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum absque te, et opera tua, quae facies exspectantibus misericordiam: occurrit enim facientibus justitiam, et viarum tuarum recordabuntur. Paraphrasim hujus testimonii, quasi Hebraeus ex Hebraeis, assumit apostolus Paulus de authenticis libris in Epistola quam scribit ad Corinthios, non verbum ex verbo reddens, quod facere omnino contemnit; sed sensuum exprimens veritatem, quibus utitur ad id quod voluerit roborandum (I Cor. II). Unde apocryphorum deliramenta conticeant, quae ex occasione hujus testimonii ingeruntur Ecclesiis Christi. De quibus vere dici potest, quod sedeat diabolus in insidiis cum divitibus in apocryphis, ut interficiat innocentem. Et iterum: Insidiatur in apocrypho quasi leo in spelunca sua: insidiatur, ut rapiat pauperem (Psal. IX, 8). Ascensio enim Isaiae, et apocalypsis Eliae hoc habent testimonium. Et per hanc occasionem, multaque hujuscemodi, Hispaniarum et maxime Lusitaniae deceptae sunt mulierculae, oneratae peccatis, quae ducuntur desideriis variis, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes (III Tim. III), ut Basilidis, Balsami atque Thesauri, Barbelonis quoque et Leusiborae, ac reliquorum nominum portenta susciperent. De quibus diligentissime vir apostolicus scribit Irenaeus, episcopus Lugdunensis et martyr, multarum origines explicans haereseωn, et maxime Gnosticorum, qui per Marcum Aegyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas deceperunt,

miscentes fabulis voluptatem, et imperitiae suae nomen scientiae vindicantes (Irenaeus lib. I de Haeres.). Quod autem dicit populus in praesenti, hoc est, numquam se nec auribus, nec oculis cognovisse, quae Deus sanctis suis praeparet in futurum: quod occurrat his qui faciunt justitiam, et viarum illius recordantur. Porro juxta Septuaginta dicunt, se numquam Deum alium cognovisse, praeter eum qui vere Deus est, nec alterius talia opera tantaque vidisse, que facturus sit his qui exspectent misericordiam ejus, faciantque justitiam, et viarum illius recordentur. Et quomodo scriptum est: Deum nemo vidit umquam (Joan. I, 18). Et iterum: Nemo videt faciem meam et vivet (Exod. XXXIII, 20)? Ergo Deus nequaquam sermonibus explicatur, nec oculis contemplabilis est, sed ab his videtur, de quibus scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. V, 8).

## (Vers. 6.)

Ecce tu iratus es, et peccavimus; in ipsis fuimus semper, et salvabimur. Et facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae. Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos.

LXX: Ecce tu iratus es, et omnes peccavimus: idcirco erravimus, et facti sumus quasi immundi omnes nos, ut pannus sedentis omnis justitia nostra: et defluximus quasi folia propter iniquitates nostras: sicut ventus auferet nos. Ordo praeposterus. Non quia tu iratus es, nos peccavimus; sed quia nos peccavimus, tu iratus es. Et quia peccavimus, nobis iratus es, Domine: propterea erravimus, et rectam reliquimus viam. Sive juxta Hebraicum, qui semper fuimus in peccatis, tua tantum salvabimur misericordia, qui per nos immundi sumus; et quidquid videmur habere justitiae, panno sedentis, sive menstruatae mulieris comparatur. Pro quo Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit EDDIM quod Symmachus

interpretatus est --- id est, parientium; Aquila --- hoc est, testimoniorum: quando sanguis in primo coitu maritali virgini approbatur. Et defluximus, inquit, quasi folia de arboribus, quae propter iniquitates nostras, ventorum flatibus disperguntur. In quo considerandum, quod justitia quae in Lege est, ad comparationem Evangelicae puritatis immunditia nominetur. Etenim non est glorificatum quod prius glorificatum fuit, propter excellentem gloriam. Unde et apostolus Paulus, qui secundum justitiam, quae in Lege est, universa compleverat, dicit se omnia duxisse pro damno, ut Christum lucrificaret (Philipp. III), et propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem cuncta arbitratur quasi stercora, ut Christum lucrifaciat, et inveniatur in eo non habens suam justitiam, quae ex Lege est, sed per fidem Christi quae est ex Deo justitia. Est enim justus qui perit in justitia sua (Eccles. 7), si post Evangelii veritatem umbras velit exercere legales, et non juste quod justum est persequi. Unde juxta sapientissimum Salomonem, omnis vir videtur sibi justus, cum in lege versatur: ad quos Dominus loquitur in Evangelio: Vos estis qui vosmetipsos justificatis coram hominibus (Luc. XVI, 15). Quod Paulus fugiens ait: Nihil mihi conscius sum, nec tamen in hoc justificatus sum (II Cor. IV, 4). Ex peccato autem Dei justitia, de qua idem Salomon loquitur: Intelligite justitiam veram. Ergo est alia justitia quae non habet veritatem, et haec est vera justitia, de qua rursum in Evangelio dicitur: Beati qui esuriunt et siliunt justitiam (Matth. V, 6). Quam multi prophetae et justi desideraverunt videre, et non viderunt (Joann. VIII). Abraham autem vidit istam justitiam, et laetatus est, nequaquam sequens occidentem litteram, sed spiritum vivificantem. Nec mirum haec de hominibus dicere, cum astra quoque Dei justitiae comparata, non sint munda, et adversum Angelos suos perversum quid excogitaverit (Job. IV, XV). Si quis igitur post Evangelium Christi, et adventum filii Dei paedagogae Legis observat caeremonias, audiat populum confitentem, quod omnis

illa justitia panno sordidissimo comparetur, cui et Esther diadema suum, quod erat regiae potestatis insigne, comparat, quod nequaquam voluntate, sed necessitate portabat: Tu scis necessitatem meam: quoniam detestor signum superbiae meae, quod est super caput meum in diebus ostensionis meae: abominor illud sicut pannum menstruum: nec porto in diebus quietis meae (Esther, XIV, 16).

## (Vers. 7.)

Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostrae.

LXX: Et non est qui invocet nomen tuum, et qui recordatus apprehendat te. Quoniam avertisti faciem tuam a nobis, et tradidisti nos propter iniquitates nostras. Quia instar foliorum de arboribus fluximus quae ventus arefacta dispergit, propterea nullus inventus est qui invocaret nomen tuum, et consurgens de ruina iniquitatum suarum, apprehenderet vel teneret te, diceretque cum sponsa: Inveni quem quaesivit anima mea: tenebo illum, et non dimittam illum (Cant. III, 4). Ventus in Scripturis tripliciter ponitur; aut in tentationum magnitudine, aut in perversitate doctrinae, aut simpliciter ventus, quo nubila congregantur, et aer in nubes cogitur. De tentationibus, illud est Evangelicum: Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non potuerunt subvertere eam: quia super petram stabili erat mole fundata (Matth. VII, 27). De perversitate doctrinae: Ut non circumferamur omni vento doctrinae in malitia hominum (Ephes. IV, 14). De vento simpliciter: Et non poterant navigare, erat enim ventus contrarius (Marc. VI, 48): non quo et hoc non possit sentiri tropologice, sed quo praesenti sensui tantum similitudinem praebeat. Avertente enim Domino faciem suam a nobis, allidimur in manu iniquitatis nostrae, sive tradimur tentationibus

propter peccata nostra. Ex quo discimus, quod et iniquitas manus habeat, et omnia peccata, quae nos fortiter strictos tenere desiderant. Unde et in manu linguae mors et vita est (Prov. XVIII); et sanctus precatur: Non veniet mihi pes superbiae (Psal. XXXV, 12). Nos autem, quia avertit Dominus faciem suam a nobis, scientes illud quod scriptum est: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit (Joel. II, 32) invocemus nomen ejus, atque dicamus: Peccatum notum feci tibi, et iniquitatem meam non operui. Dixi pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino, et tu dimisisti impietatem cordis mei (Psal. XXXI, 56). Et statim habebimus Dominum respondentem: Delevi sicut nebulam iniquitates tuas, et sicut nubem peccata tua (Isai. XLIV, 22), atque dicemus, Ostende faciem tuam, et salvi erimus (Ps. LXXIX, 4): ut nequaquam simus servi peccati, sed servi tui. Omnis enim qui facit peccatum, servus ejus est (Joan. VIII).

## (Vers. 8 seqq.)

Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris iniquitatis. Ecce respice, populus tuus omnes nos. Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata: domus sanctificationis nostrae, et gloriae nostrae, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinam. Numquid super his continebis te, Domine, tacebis; et affliges nos vehementer?

LXX: Et nunc, Domine, pater noster tu: nos autem lutum, opera manuum tuarum omnes nos; ne irascaris nobis, Domine, nimis, et ne in tempore memineris peccatorum nostrorum. Et nunc respice quoniam populus tuus omnes nos, civitas sancti tui facta est deserta Sion: quasi solitudo Jerusalem, in maledictionem domus sanctuarii nostri et gloriae, cui benedixerunt patres

nostri, facta est igne combusta, et omnia gloriosa nostra conciderunt. Et super omnibus his sustinuisti. Domine: et tacuisti, et humiliasti nos valde. Si nostra consideremus merita, desperandum est. Si tuam autem clementiam, qui flagellas omnem filium quem recipis, audemus preces fundere (Hebr. XII). Tu enim pater noster es, qui dignatus es dicere: Filius primogenitus meus Israel (Ezech. IV, 22). Et quamquam lutum simus, et opera manuum tuarum, et fictor noster sis; nec vas figulo valeat respondere, quare sic vel sic factum sit: tamen scientes esse nos filios, audemus dicere: Ne irascaris, Domine, satis. Non iram vetamus, nec ultra patientiam tuam quaerimus, per quam thesaurizavimus nobis iram in die irae. Sed hoc quaesumus, ne irascaris nobis satis, ne tempore ultionis atque vindictae memineris iniquitatis nostrae: sed magis respicias populum tuum, qui quondam tuus appellatus est populus. Et civitatis sanctuarii tui miserearis, in qua invocatum est nomen tuum. Quae civitas appellatur Sion et Jerusalem, quam fluminis impetus laetificat; et in qua quondam fuit specula virtutum et pacis contemplatio (Psal. XLIII). Domus quoque tua, id est, Templum sanctificationis nostrae et gloriae, in qua laudaverunt te patres nostri, in ruinas et cineres concidit, et incendio vastante, deleta est; ita ut nequaquam in ea offerantur victimae; non Pascha celebretur; non quidquam fiat de caeremoniis, quas tu fieri praecepisti; sed omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Cum haec igitur ita se habeant, numquid, Domine, super his continebis misericordiam tuam, et tacebis adversariis blasphemantibus, et affliges nos atque humiliabis, non more solito, sed nimis? Quae omnia Judaei Assyriorum et Babyloniorum temporibus putant esse completa. Nos autem juxta ea quae ex persona Salvatoris sequuntur: Apparui his qui non interrogabant. Inventus sum ab his qui me non quaerebant (Isai. LXV, 1); ad tempus Romanae victoriae universa referimus, quae Josephus Judaicae scriptor historiae, septem explicat voluminibus, quibus imposuit titulum Captivitatis Judaicae, id est --- et

superfluum est ea sermone disserere, quae oculis pateant, cum omnia desiderabilia eorum versa sint in ruinas, et Templum in toto orbe celebratum, in sterquilinium urbis novae, quae a conditore appellabatur Elia; et in habitaculum transierit noctuarum: frustraque quotidie dicunt in synagogis suis: Super his omnibus, Domine, sustinebis et affliges nos, atque humiliabis vehementer. Possumus haec referre ad Ecclesiam, vel ad sancti viri animam, quae recte appellari potest specula et visio pacis, quando Pater et Filius et Spiritus sanctus habitaverint in ea. Sin vero vitio, vel nostro, vel populi, hujuscemodi Sion a Domino fuerit derelicta, statim patebit incendio ignitarum diaboli sagittarum: Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum. Et expulso pudicitiae frigore, libidinis in templo Dei flamma grassabitur, ut quidquid in nobis gloriosum prius et inclytum fuit, corruat, deleatur et pereat. Et impleatur illud quod in Psalmis dicitur: Combusserunt igni sanctuarium tuum, profanaverunt in terra tabernaculum nominis tui. Quod solus potest ille restinguere, de cujus ventre fluunt aquae viventis flumina.

## LIBER DECIMUS OCTAVUS.

Duo devicesimus in Isaiam, immo extremus liber, tuo, o filia Eustochium, et sanctae matris tuae Paulae nomini dedicatur, ut quas pari honore suspexi, aequa commemoratione nunc recolam: praesertim cum et illa dum viveret, hoc opus tecum crebrius postularit, et vir eruditissimus frater tuus Pammachius et tunc et postea frequentibus scriptis cogere non destiterit: mihique et praesentium amicorum et absentium, virorumque ac feminarum in Christo dormientium eadem religio sit, id est, animorum charitas, non corporum. Nec ignoro quanta inter homines sententiarum diversitas sit. Non dico de mysterio Trinitatis, cujus recta confessio est ignoratio scientiae: sed de aliis Ecclesiasticis dogmatibus, de Resurrectione scilicet, et de animarum et humanae carnis

statu, de Repromissionibus futurorum, quomodo debeant accipi, et qua ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis, quam si juxta litteram accipimus, judaizandum est; si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire: Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii: Graecorum, ut caeteros praetermittam, Irenaei tantum Lugdunensis episcopi faciam mentionem, adversum quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinae Ecclesiae pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem Templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, et cunctarum gentium servitutem: rursusque bella, exercitus, ac triumphos et superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Cui duobus voluminibus respondit Apollinarius, quem non solum suae sectae homines, sed et nostrorum in hac parte dumtaxat plurima sequitur multitudo, ut praesaga mente jam cernam quantorum in me rabies concitanda sit. Quibus non invideo, si tantum amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent: et post ciborum abundantiam, gulaeque ac ventris ingluviem, ea quae sub ventre sunt quaerant. De quibus apostolus Paulus: Esca, inquit, ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et illas destruet (I Cor. VI, 13.) Et, Non est regnum Dei cibus et potus (Rom. XIV, 17). Et Dominus atque Salvator: Erratis, inquit, nescientes Scripturas neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt similes Angelorum (Matth. II, 29, 30). Nec haec dicens aufero corporum veritatem, quae incorrupta et immortalia resurrectura confiteor: ut mutent gloriam, non substantiam. Sicque recto incedendum est tramite, ut nec ad sinistram nec ad dexteram declinemus, id est, nec Judaicum nec haereticum sequamur errorem. Quorum alii qui carnis sunt, solas diligunt carnes: alii ingrati beneficiorum Dei, habere detrectant, quod Christus et natus habuit et resurgens. Cum enim Apostoli eum

putarent spiritum, vel juxta Evangelium, quod Hebraeorum lectitant Nazaraei, incorporale daemonium, dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ipse ego sum: Palpate et cernite, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes (Luc. XXIV, 38, 39). Rursumque Thomae locutus est ambigenti: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas: et extende manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis (Joan. XX, 27). Denique ad probandam corporis veritatem, sumpsisse scribitur cibos, quos et Archisynagogi filiae jusserat tribui, quam a mortuis suscitavit. Et Lazarus, ne resurrectio ejus phantasma putaretur, cum Salvatore narratur iniisse convivium (Marc. V; et Luc. XIII; Joan. XII). Non quo post resurrectionem manducemus et bibamus, ut Milliarii nostri volunt, et immortalia atque incorrupta corpora alimoniis sustentanda terrenis sint: alioquin ubi cibus, sequuntur et morbi: ubi morbi, adhibendus est medicus: ubi medici, frequenter interitus: rursumque resurrectio, et nova ex integro conversatio; sed ut resurrectionis fidem ciborum assumptio comprobaret. Haec magnopere praecavemus, et pressius loquimur, scientes inter serpentes nobis et scorpiones ambulandum, qui mordent et feriunt in abscondito (Ezech. II). De quibus et Ecclesiastes: Si momorderit, inquit, serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit (Eccles. X, 11); et hujus pater David: Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti, et tacui: existimasti, inique, quod ero tui similis. Arguam te, et ponam contra faciem tuam (Ps. XLIX, 20, 21); ut quae in aliis criminaris, ipse habere docearis. Si cui autem explanationum in Prophetas displicet longitudo: audiat libere, multo me pauciora dixisse, quam rei [Al. rerum] obscuritas flagitat, et posse unumquemque de nostra latitudine breves sibi Commentariolos facere, qui tamen pleno intellectui non

sufficient. Neque enim simplex a Prophetis historia, et gestorum ordo narratur: sed aenigmatum plena sunt omnia; aliudque in verbis sonant, aliud tenetur in sensibus: ut quae aestimaveris plana, et inoffensa currere lectione; sequentium rursum obscuritatibus involvantur. Verum tempus est, ut finem imponam volumini prophetali, in cujus expositione si prolixior solito fuero, extremis partibus concedendum est, quas dividere nolui, ne librorum numerus augeretur.

## (Cap. LXV.---Vers. 1.)

Quaesierunt me qui ante me non interrogabant: invenerunt, qui non quaesierunt me. Dixi: ecce ego, ecce ego ad gentem quae non invocabat nomen meum.

LXX: Apparui non quaerentibus me: inventus sum ab his qui me non interrogabant. Dixi: ecce ego in gente quae non invocavit nomen meum. Ad orationem populi mixtam querimoniis, in qua dixerat: Quare nos errare fecisti, Domine, de via tua: indurasti corda nostra, ut non timeremus te (Isai. LXIII, 17)? respondit, ut Judaei volunt, Deus Pater; ut nos probamus, Dominus atque Salvator: in tantum non sum rigidus et crudelis, qui malo poenitentiam peccatoris, quam mortem: nec repello filios poenitentes, qui tamen sui nominis servaverint dignitatem, ut etiam alienos salvare velim (Ezech. XXXIII). Qui enim me non quaerebant, nec dicere poterant: Quem scripsit Moyses in Lege, et prophetae, invenimus Jesum (Joan. I, 45); ipsis apparui, de quibus et alibi Propheta testatus est: Quibus non est annuntiatum de eo, audient: et qui non audierunt, intelligent (Isa. LII, 15). Vos autem qui legem Dei die ac nocte meditamini, frustra jactatis poenitentiam, cujus opera non facitis. Unde Evangelistae et apostoli, semper adventum Domini, veteris Testamenti cupientes testimoniis roborare, dicebant: Ut impleretur quod dictum est per Prophetam (Matth. I, 22). Centurio Dominum non quaerebat, et audivit a Domino: Neque in

Israel tantam fidem inveni (Luc. VII, 9; Matth. VIII, 10). Syrophoenissa mulier Prophetarum eloquia nesciebat, et Domini voce laudatur: O mulier, magna est fides tua. Regulus (Joan. IV), qui Graece dicitur --- quem nos de aula regia rectius interpretari possumus palatinum, non solum filii, sed universae domus suae reperit sanitatem. Quod autem juxta Hebraicum dicitur: Quaesierunt me qui ante non interrogabant, ad eumdem sensum refertur: ut prius Dei notitiam non habentes, postea quaerant Dominum, et eum revelatione cognoscant: qui et Paulo dum Ecclesiam credentium persequitur, revelatus est (Act. IX). Et apostolo Petro ait: Beatus es, Simon Barjona: quia caro et sanguis non revelaverunt tibi; sed Pater meus qui est in coelis (Matth. XVI, 17). Hunc quaerebat et Moyses loquens Deo: Si inveni gratiam apud te, ostende te mihi manifeste, ut videam te (Exod. XXXIII, 13). Majores divitias thesauris Aegypti, Christi opprobrium praestolans, dum retributionem desiderat futurorum, et invisibilem Deum quasi videret, animo contemplabatur. De quo et in Psalmis legitur: Spes omnium finium terrae, et in mari longe (Ps. LXIV, 6). Et in Genesi: Ipse erit exspectatio gentium (Gen. XLIX, 10). Quodque sequitur: Dixi: ecce ego sum: ad gentem quae non invocabat nomen meum (Exod. III, 14), illi sensui convenit: Qui est, misit me ad vos. Qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus aequalem se esse Deo, etc. (Philipp. II); sed totius mundi provocans gentes, unam fecit sui nominis gentem Christianorum.

## (Vers. 2.)

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.

LXX: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum et contradicentem, qui non ambulaverunt in via bona: sed post peccata sua. Hoc quod supra dictum

est: Apparui his qui me non interrogabant: inventus sum ab his qui me non quaerebant, apostolus Paulus scribens ad Romanos, cum super gentium persona exposuisset, adjecit: Ad Israel autem dicit: Expandi manus meas ad populum incredulum et contradicentem (Rom. X, 21), qui cum beneficiis Domini vinceretur, et ultra hominem signa conspiceret, loquebatur: Iste non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum (Luc. XI, 15). Et iterum: Samaritanus es tu, et daemonium habes (Joan. VIII, 48). Et rursum: cum sis homo, facis te Deum (Joan. X, 33). Et alibi: Iste homo non est a Deo, qui sabbatum non custodit (Joan. IX, 10). Et multa alia, quae longum est texere. Denique cum ille in cruce extenderet manus ad populum non credentem, et diceret: Pater, ignosce eis: quod enim faciunt, nesciunt (Luc. XXIII, 31): illi e regione dicebant: Vah! qui destruit Templum, et in tribus diebus aedificat illud: descendat nunc de cruce, et credimur ei. Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest (Matth. XXVII, 40). De hoc et Simeon in ulnis tenens parvulum prophetabat: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur (Luc. II, 34). Romae Judaei loquuntur ad Paulum: De secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicatur (Act. XXVIII, 41). Possumus expansas manus et in largitate donantis accipere, quod nihil eis petentibus denegarit: sed statim roganti leproso reddiderit sanitatem (Matth. VIII): et caecus a nativitate acceperit oculos (Joan. IX): et esurientia in deserto, exceptis pueris ac mulieribus, populorum saturata sint quinque millia (Matth. XIV). Significant expansae manus et parentis clementiam, suos filios in sinu recipere gestientis. Qui e contrario ambulaverunt in via non bona, et secuti sunt cogitationes suas. Quibus Dominus loquitur per Prophetam: Averte pedem tuum a via aspera (Prov. IV, 27). Dilexerant enim alienos, et instar meretricis dixerant: Vadam post amatores meos (Ose. II, 5). Et relinquentes viam bonam, quae dicit in Evangelio: Ego sum via (Joan. XIV, 6), ambulaverunt per latam et spatiosam viam, quae ducit ad

mortem, et secuti sunt cogitationes suas, quas Propheta devitans, Dominum deprecatur: Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero (Ps. XVIII, 13, 14). Et Apostolus eos qui non habuerunt notitiam Dei, tradi docet reprobo sensui et operibus malis, ut faciant ea quae non conveniunt (Rom. I). Nos autem Psalmistae voce dicamus: Deduc me in via recta (Ps. CXXXVIII, 24).

## (Vers. 3.)

Populus qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres (Ex Exod. XX, 4).

LXX: Populus hic qui exacerbat me in conspectu meo: ipsi semper immolant in hortis, et adolent incensum super laterem ÷ daemonibus qui non sunt. ** Dicente Domino: Non facies tibi idolum, neque similitudinem omnium quae in coelo sunt, et quae super terram. Et per Moysen increpante facientes: Irritaverunt me in diis alienis, et in abominationibus suis me ad amaritudinem provocaverunt. Immolaverunt daemoniis, et non Deo (Deut. XXXII, 16, 17), illi studio delinquendi quasi irritarent et provocarent Deum, non solum fecerunt quod non licebat, sed jugiter semperque fecerunt, peccantes in conspectu Domini, cujus oculis cuncta patent, vel in Templo ejus, idolis hostias immolantes. Ac ne quid vero deesset sacrilegio, immolabant in hortis, et adolebant thura super lateres, jungentes idololatriae luxuriam, et sacrificiis voluptatem, et pro uno altari quod impolitis lapidibus Dei erat lege constructum, coctos lateres et agrorum cespites. hostiarum sanguine cruentabant. Hoc dictum sit juxta litteram: alioquin secundum intelligentiam spiritualem, omnis haereticus ad iracundiam provocat Dominum, et in falsitate dogmatum suorum offert immunda sacrificia, nequaquam firma et mansura perpetuo, sed instar hortorum ad breve virentia, carnis deliciis providens. Cui

dicitur: Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Aruit fenum, et flos decidit: verbum autem Domini, quod in ecclesiis praedicatur, permanet in aeternum (Isai. XL, 6, 7). Hos hortos ex vinea sua nolens fieri Naboth, Achab impiissimo regi sanguinem fundit (III Reg. XXII). Neque enim congruum erat, ut paterna periret haereditas: et excisis vineis, quae afferunt fructum qui laetificat cor hominis, in loco virtutum, deliciarum atque vitiorum olera nascerentur. Fertur sapientissimi apud Graecos merito celebrata et laudata sententia, qui omnes saeculi voluptates, et pompam mundi atque luxuriam celeriter transeuntem, hortos Adonidis vocat. Sacrificant quoque haeretici super lapides, quando errores suos et exquisita mendacia, dialectica nituntur arte firmare, et in quadrum exstruere: et --- ut aiunt, --- id est, secti in latere pulveris atque descripti lineis roborare. Quod autem in Septuaginta legitur: daemonibus qui non sunt, et in Hebraico non habetur, illo sensu accipiendum, quod juxta litteram, et juxta spiritum, nec daemonia subsistant, quia jam a Deo, qui vere est, exciderunt: nec sectae haereticorum quae nullam retinent veritatem, sed in umbrarum similitudinem transeunt atque intereunt. Unde et Esther loquitur ad Dominum: Ne tradas haereditatem tuam his qui non sunt (Esther XIV, 11). Et sanctus precatur in psalmo: Ignosce mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et ultra non subsistam (Ps. XXXVIII, 14). Qui enim dum in hoc vivit corpore, veniam peccatorum non fuerit consecutus, et sic de vita excesserit, Deo perit, et esse desistit, licet sibi subsistat in poenis.

## (Vers. 4, 5.)

Qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis suis: qui dicunt, recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es.

LXX: In sepulcris et in specubus dormiunt propter somnia: qui comedunt carnem suillam et jus hostiarum, profana omnia vasa eorum: qui dicunt, abi longe a me, ne appropinques mihi, quoniam mundus sum. Nihil fuit sacrilegii quod Israel populus praetermitteret, non solum in hortis immolans, et super lateres thura succendens, sed sedens quoque, vel habitans in sepulcris, et in delubris idolorum dormiens, ubi stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent. Quod in fano Aesculapii usque hodie error celebrat ethnicorum multorumque aliorum, quae non sunt aliud, nisi tumuli mortuorum. Nec hoc erant impietatis fine contenti, sed porcorum quoque carnibus vescebantur, quod lege prohibitum erat, et jus hesternum, quod Graeci vocant ἕωλον avidis faucibus devorabant (Levit. XII). Unde tam ipsi quam vasa eorum immunda erant, et in tantum procacitatis ac superbiae quotidie augmenta capiebant, ut quicumque non simili duceretur errore, eum arbitrarentur immundum, contactumque ejus fugerent, quemadmodum Samaritani et Judaei nobis faciunt, omnesque haeretici, quales nuper sub magistro cerebroso in Gallia pullularunt, qui basilicas Martyrum declinantes, nos qui ibi orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt. Hoc autem non tam illi faciunt, quam habitantes in eis daemones, fortitudinem et flagella sancti cineris non ferentes. Quis autem haereticorum non requiescit in memoriis, non dormit in specubus magistrorum? Qualis fuit Marcion et Valentinus, et nuper Eunomius, mentis immunditiam leprosa carne contestans, qui lumen sancti Spiritus relinquentes, et coenaculum in quo Apostoli versabantur, in diaboli tenebris commorantur, et speluncas diligunt, quas Jeremias mystico sermone condemnat: Facta est haereditas mea mihi quasi spelunca hyaenae (Jerem. XII, 8), quam nostri belluam vocant: quod animal semper cadavera persequitur, et vivit succo ac sanie corporum mortuorum. Adversum hos, qui habitant in speluncis, et Abacuc lamentabili voce dicebat: Vae qui potum dat proximo suo

potionis turbidae: et inebriat eum, ut respiciat ad speluncas suas (Abac. II, 15). De his speluncis et Dominus loquebatur: Scriptum est, domus patris mei, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum (Matth. XXI, 13), in quibus animas interficitis deceptorum, ut non videatis in eis visiones, de quibus idem Salvator ait: Ego visiones multiplicavi, et in manibus Prophetarum assimilatus sum (Ose. XII, 10). Et alius ad eum: Locutus es, inquit, in visione filiis tuis (Psal. LXXXVIII, 20), sed somniis creditis et phantasmatibus, quibus praecepit Dominus non esse credendum. Isti porcorum carne vescuntur, de quibus dicitur: Ne miseritis margaritas vestras ante porcos (Matth. VII, 27). Et jus profanum comedunt, quod in libris eorum haeretica arte conditum est. Quorum vasa immunda sunt omnia, tam scilicet corpora, quam doctrinae, et in tantam dementiam veniunt, ut quicumque eorum non fuerit similis, eum quasi perditum detestentur.

## (Vers. 6, 7.)

Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me: Non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes et super colles, exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinum eorum.

LXX: Iste est fumus furoris mei: ignis ardet in eo cunctis diebus. Ecce scriptum in conspectu meo: Non tacebo, donec reddam et retribuam in sinu eorum peccata sua, et patrum suorum, dicit Dominus: qui adolebant incensum super montes et super colles, exprobraverunt mihi; reddam opera eorum in sinum eorum. Propter opera vestra, et incredibilem mentis arrogantiam, ut immundi, mundos putaretis immundos, eritis fumus, ignis ardens, qui de meo furore succensus est. Furorem autem, oblivionem, iram, poenitudinem, ita

in Deo debemus accipere, quomodo pedes, manus, oculos, aures, et caetera membra, quae habere dicitur incorporalis et invisibilis Deus. Non quo his pateat perturbationibus, qui eas dono gratiae suae exstinguit in nobis; sed quo per nostra verba Dei erga nos intelligamus affectum. Neque enim ira, quae est ultionis libido, ita definitur in Deo, ut in hominibus, quae materiam habet in nostris vitiis, non in Domini voluntate: qui thesaurizamus nobis iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei, ut tribulos nostros et spinas, et zizania, quae pro semine Dei attulimus, ligna quoque, fenum et stipulam, quae super fundamentum Pauli aedificavimus (I. Cor. III), sapiens flamma consumat. De hoc igne perpetuo et in Moysi cantico legimus: Ignis accensus est de furore meo, et ardebit usque ad infernum deorsum. Devorabit terram et genimina ejus: comburet fundamenta montium, et sagittae meae consument eos (Deut. XXXII, 22). Cujus testimonii sensus est, quod ignis Dei atque vindicta semper ardeat peccatoribus, et eos usque ad inferos persequatur. Qualis erat et dives ille in Evangelio (Luc. XVI) purpuratus, qui, requiescente Lazaro in sinu Abraham, aeternis torquebatur ardoribus. Terram quoque, id est, carnem nostram, et genimina ejus, id est, carnis desideria, eadem flamma comburet, et fundamenta montium quae se elevant contra scientiam Dei. Ipsos quoque montes Dei jacula disperdent, ut humiliati in poenis, montes esse desistant. Ecce, inquit, scriptum est coram me. Omnia enim nostra peccata Dei patent oculis, et in his scripta sunt libris, de quibus in Daniele legimus: Throni positi sunt, et libri aperti sunt (Dan. VII, 10). De quibus in alio loco dicitur: Super terram scribantur (Jerem. XVII, 13). Et nequaquam ultra reticebit qui prius dixerat, Tacui: numquid semper tacebo? dicit Dominus (Isai. XLII, 14). Sed reddet unicuique quod operatus est in sinu ejus, hoc est in cordis arcano, ut eos propria torqueat conscientia. De qua et Osee propheta vaticinatur: Cadent in gladio principes eorum propter indisciplinationem linguae eorum (Ose. VII, 16). Haec est

detractio ipsorum in sinu eorum, quae de uniuscujusque corde procedit. Simile quid et in Proverbiis scribitur; In sinu redduntur suo iniquis omnia (Prov. V, 22). Qui sinus propter animae principale alio nomine appellatur caput. Vias eorum dedi in capita eorum (Ezech. IX, 10). Et alibi: Convertetur dolor ejus in caput ejus, et super verticem illius iniquitas ejus descendet (Ps. VII, 17). Est autem et bonus sinus, qui sanctitate fruetur conscientiae, de quo Psalmista dicebat: Et oratio mea in sinu meo convertetur (Ps. XXXIV, 13). Intelligitur sinus in quemlibet affectus atque dilectio, ut quando ad maritum sermo dirigitur, Uxor quae est in sinu tuo; et ad parentem, Adducent filios tuos in sinu (Luc. XVI). Unde et omnes qui patrem habent Abraham, et virtutum ejus similes esse meruerunt, requiescunt in sinu ejus. Neque enim patres, quorum nunc iniquitates nobis et peccata redduntur, eos debemus accipere, de quorum semine nostra nata sunt corpora. Alioquin et ipse Moyses qui dixerat, peccata patrum filiis esse reddenda in tertiam et quartam generationem, his qui oderunt Deum (Exod. XX), interpretatur sententiam suam, dicens: Non morientur filii propter peccata patrum: sed unusquisque in suo peccato morietur (Deut. XXIV, 16). Eamdem Ezechiele approbante sententiam, quod nequaquam dicatur illa parabola: Patres uvam acerbam comederunt, et dentes filiorum obstupuerunt (Ezech. XVIII, 2), sed ejus tantum dentes obstupescere, qui comederit: et perire animam peccatricem, nec externa luere peccata. Ex quo intelligimus, vel in bonam partem, vel in contrariam, eos accipiendos patres, quibus unusquisque apponitur, cum de hac vita excesserit. Sacrificavit autem super montes et colles Israel, quando in Bethel et Dan aureos vitulos posuit. Et exprobravit Deo super praeceptis suis, dum ejus neglexit caeremonias, et cultum Dei daemonibus tribuit: quorum opera reddenda sunt in sinu eorum (Ose. IV). Omnisque haereticus contemnens Ecclesiasticam simplicitatem, sacrificat in montibus, et exprobrat Deo, dum ejus praecepta contemnit.

## (Vers. 8.)

Haec dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur: ne dissipes illud, quoniam benedictio est; sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.

LXX: Sic dicit Dominus: Quomodo si inveniatur acinum in botro, et dicatur: ne contingas illud, quia benedictio est in eo: sic faciam propter servum meum, ut non disperdam omnes. Dixerat Dominus, Israel esse periturum, et omnia peccata illius suis patere conspectibus, et redditurum se opera singulorum in sinu eorum. Post haec infert similitudinem, et comparationis exemplum, quo doceat unumquemque suo perire peccato, et etiamsi peccantium sit plurima multitudo, unum justum cunctorum vitio non perire. Si quis, ait, in botro et uva, quae ad maturitatem pervenire non potuit, et acescentes attulit fructus, vel aliquo aeris ac terrae corrupta est vitio, unum granum reperit illaesum, quod spem habeat adhuc majus fieri, et ad maturitatem solitam pervenire, dicat alteri, ne tangas illud, sed dimitte ut crescat, quia benedictio Domini est, ut in tanta acinorum multitudine solum evaderet siccitatem: sic, inquit, de Judaeorum innumerabili multitudine, quae offendit Deum, si paucos justos invenero, liberabo eos de interitu plurimorum. Et hoc faciam propter servos meos Abraham, Isaac et Jacob, ad quos facta est repromissio, sive propter eos, qui inter plurimos peccatores serviunt mihi. Tale quid et in Genesi legimus, quando de quinquaginta usque ad decem paulatim quaeruntur justi, qui de peccato liberent civitatem (Gen. XVIII), et Lot de Sodomis cum filiabus suis solus justus eripitur (Gen. XIX). De quo in Catholica Epistola scribitur (II Petr. II), quod cruciaretur anima ipsius videntis nefanda committi, et animae judicium, corporis habitudine demonstraret. Enoch quoque inter peccantium plurimam multitudinem solus raptus ad Deum est (Gen. V). Et Noe cum liberis suis, propter declinantem

omnem carnem a Domini servitute, Diluvium delere non potuit (Gen. VII). Sed et Abraham de igne Chaldaeorum, fidei integritate servatus est (Gen. XI). In quem sensum et Jeremiae verba ex persona Domini dicentis consentiunt: Quasi calidum in deserto, inveni Israel cum occisis gladio (Jerem. XXXVIII, 2 sec. LXX; in Vulg. XXXI, 2). Cum enim, inquit, omnis mundus idololatriae gladiis vulneratus jaceret exanimis, inveni Israel in Abraham habere calorem fidei, quasi medicus, qui post praelium inter cadavera mortuorum, ubi quem senserit pulsantibus venis aliquid habere vitale, adhibet curam vulneribus, ut restituat sanitatem. Pro eo quod scriptum est, --- hoc est, quasi calidum, Latinus interpres, verbi ambiguitate deceptus, lupinum interpretatus est, in quo et Graecorum plerique errant. Et tamen sciendum in Hebraico pro calore scriptum esse THODA, quod interpretatur gratia: quod scilicet gratia Dei, et non merito operum suorum salvatus sit Israel.

## (Vers. 9.)

Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos: et haereditabunt eam electi mei, et servi mei inhabitabunt ibi, et erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum populo meo qui quaesierunt me.

LXX: Et educam de Jacob semen, et de Juda, et haereditabit montem sanctum meum, et haereditabunt electi mei, et servi mei habitabunt ibi, et erunt in saltu ovilia gregum, et vallis Achor in requie armentorum populo meo qui requiesierunt me. Quem supra vocavit granum botri, sive acinum, aut (ut multi volunt) racemum, hunc nunc appellat semen Jacob et Juda, qui possideat montes, sive montem ejus. Semen Jacob et Juda plerique Christum intelligunt, de quo in Genesi dicitur: Juda, te laudabunt fratres tui (Gen. XLIX, 8), et caetera. Nulli enim dubium quin Salvator de Judae stirpe generatus sit. Alii

autem Apostolos intelligi volunt, de quibus saepe diximus: Reliquiae salvae erunt (Isai. I, 9). Et: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, et similes Gomorrhae fuissemus (Rom. IX, 29). Isti possederunt montem Domini conscientia habitantis in se Christi, loquentes: Accessimus ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem (Hebr. XII, 22). Sive montes ejus, de quibus in psalmis canitur: Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui (Psal. CXXIV, 2). Et: Fundamenta ejus in montibus sanctis (Psal. LXXXVI, 1). Possidebunt autem Sion electi Domini, et inhabitabunt in ea servi ejus. De quibus in eodem volumine scribitur: Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus (Psal. CIV, 6). Quicumque ergo adhuc semen est, nec formatus in filium, iste servus est Domini, cui dicit in Evangelio: Scio quia semen Abrahae estis, sed necdum filii (Joan. VIII). Si enim semen essent Abraham, opera utique Abraham facerent. Qui autem filius, iste et electus est Domini. Unde electus possidet Jerusalem, et servi habitant in ea, et de filiorum ac servorum differentia dicitur: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timorem, sed spiritum adoptionis (Rom. VIII, 15). Et erunt, inquit, campestria, sive saltus, in caulas gregum. Pro campestribus in Hebraeo SARON ponitur. Omnis regio circa Lyddam, Joppen et Jamniam apta est pascendis gregibus. De quo et in Actibus Apostolorum scriptum est: Saltus autem vertentur in ovilia (Act. IX), juxta illud quod in psalmo canitur: Vox Domini perficientis cervos, et revelabit saltus (Psal. XXVIII, 9), sive condensa silvarum, ut latrones ibi latitare desistant, et bestiae venenataque animalia, et loca quondam insidiarum et sanguinis, in ecclesias Domini transeant, et pascantur ibi greges ab eo, qui posuit animam pro ovibus suis. De quo scriptum est: Ipse pascet nos in saecula (Psal. XLV, 15). Ista vox Domini perficiens cervos, et revelans condensa silvarum, per Joannem clamat in eremo: Jam securis in radicem arborum posita est. Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (Matth. III, 10). Et

iterum: Omnis vallis implebitur (Luc. III, 5); de qua et nunc dicitur: et vallis Achor in cubile armentorum, et in requiem populo meo qui requisierunt me. De qua et in libro Jesu filii Nave legimus, quod ibi interfectus sit Acham, qui furatus est de anathemate, et de spoliis Jericho, et cum omni domo sua interfectus, atque ex eo quod turbaverit populum, locus ipse in quo accidit, ACHOR, id est, turbationis ac tumultus nomen accepit (Jos. VII). Vallis igitur Achor, in qua quondam maledictio fuit atque supplicium, erit in armentorum requiem. Quae Paulus edisserens, ait: Numquid de bobus cura est Deo (I Cor. IX, 9)? an utique de nobis dicit, quia debet in spe qui arat, arare, et qui terit aream, terere eam in spe, ut participetur. De hac valle et in Osee mystice scriptum est: Loquar ad cor ejus, haud dubium quin Jerusalem; et dabo possessores illius inde, et vallem Achor, ut aperiat intelligentiam illius (Ose. II, 14). Idcirco enim vallis Achor in possessionem traditur armentorum populi Dei, et saltus vertuntur in caulas gregum, ut aperiatur intelligentia, et Domini veritas cognoscatur.

## (Vers. 11, 12.)

Et vos qui dereliquistis Dominum, et obliti estis montem sanctum meum. Qui ponitis fortunae mensam, et libatis super eam. Numerabo vos in gladio, et omnes in caede corruetis.

LXX: Vos autem qui dereliquistis me, et obliti estis montis sancti mei, et paratis fortunae mensam, et impletis daemoni potionem: ego tradam vos in gladium: omnes interfecti corruetis. In locis quondam silvestribus atque turbarum, in locis gentilium erunt caulae ovium, id est, Ecclesiae de toto orbe credentium. Vos autem, o populi Israel, qui dereliquistis Dominum, et ad iracundiam provocastis Sanctum Israel, qui obliti estis montem sanctum ejus, de quo crebro diximus, vel Dominum Salvatorem, qui montium mons est, et sanctorum omnium

sanctus, vel montem Sion, et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem, qui haec et haec facitis, tradam gladio, ut omnes interfecti pariter corrnatis. Qui sit gladius, dicemus postea: Ponitis, inquit, fortunae mensam, et libatis super eam: sive juxta Septuaginta: Paratis fortunae mensam, et impletis daemoni poculum, aut --- quod omnes similiter transtulerunt, id est, mixtam potionem. Est autem in cunctis urbibus, et maxime in Aegypto, et in Alexandria idololatriae vetus consuetudo, ut ultimo die anni et mensis eorum qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, et poculum mulso mixtum, vel praeteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant Israelitae, omnium simulacrorum portenta venerantes, et nequaquam altari victimas, sed hujuscemodi mensae liba fundebant. Quodque Septuaginta transtulerunt daemoni, in Hebraico habet MENNI, quod Symmachus interpretatus est, absque me: ut sit sensus: Qui paratis fortunae mensam, et impletis absque me potionem; ut doceat non sibi fieri, sed daemoni. Gladius autem quo interficiuntur, pro supplicio accipitur. Neque enim omnis populus Israel gladio traditus est, quorum videmus quanta millia in toto orbe dispersa sint; sed poenis atque cruciatibus, captivitati et ultimae servituti, juxta illud quod alibi dicitur: In gladio morientur omnes peccatores populi mei: et in Deuteronomii Cantico: Inebriabo sagittas meas in sanguine, et gladius meus comedet carnes vulneratorum (Deut. XXXII, 42). Haud credibile esse potest, sagittas Domini inebriari sanguine, et gladium illius vulneratorum saturari carnibus. De his sagittis quae Job per singula horarum momenta pungebant, loquitur. Sagittae Domini in corpore meo sunt: quarum furor ebibit spiritum meum; cum enim coepero loqui, stimulant me (Job. VI, 4). Juxta tropologiam autem hoc dicendum est, quod omnes qui Ecclesiam deserunt et obliviscuntur montem sanctum Dei, et se tradunt spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, isti parant fortunae mensam, nihil ad Deum pertinere credentes, sed vel stellarum cursu, vel varietate fortunae

omnia gubernari: quos Paulus increpat, dicens: Non potestis mensae Domini participare, et mensae daemoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum (I Cor. X, 20, 21): quia aeternis tradentur suppliciis, ita ut nullus eorum caedem et ruinam possit evadere.

## (Vers. 12.)

Pro eo quod vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui, elegistis.

LXX: Quia vocavi vos, et non audistis: locutus sum, et contempsistis, et fecistis malum in conspectu meo, et quae nolebam elegistis. Gladio, ait, estis traditi, quia non solum reliquistis me, et obliti estis mei, et fortunae poculum miscuistis, sed cum essem Emmanuel, id est, nobiscum Deus, de quo et Joannes scribit: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. I, 14), praesens vos vocavi: revertimini ad me filii revertentes (Jerem. III, 14). Et: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis (Matth. XI, 28), et respondere noluistis. Locutus sum in parabolis, et omnia feci quae facere debui, et non audistis me, immo et contempsistis. Ego enim sum qui et supra dixi: Veni et non erat homo: vocavi, et non erat qui obediret (Isai. L, 2). Nec vobis haec sufficiebat impietas, ut me praesentem contemneretis, et missum ad vos occideretis haeredem; sed fecistis malum in conspectu meo, et quae nolebam elegistis, et blasphemastis Filium Dei, ut peteretis vobis Barabbam latronem, homicidii et seditionis auctorem; et adhuc audetis dicere: Quare nos errare fecisti a via tua (Isai. LXIII, 17)? Si enim qui me nesciebant invenerunt me, et qui me non invocabant, susceperunt me, quibus vos digni estis cruciatibus, qui missum ad vos atque dicentem: Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. XV, 24), suscipere noluistis, sed insuper affixistis cruci? Considerandum quid significet

quod ait: Et quae nolebam elegistis; aut quae sit voluntas Filii Dei, qui loquitur in Evangelio: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, ingredietur in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui est in coelis (Matth. VII, 21). De qua et ipse dicit Deus: Ut facerem voluntatem tuam volui (Psal. XXXIX, 9). Haec est voluntas, de qua et ipse Dominus loquebatur: Inveni David filium Jesse, virum juxta cor meum, qui faciat omnes voluntates meas (Act. XIII, 22). Unde et sanctus precatur et dicit: Doce me ut faciam voluntatem tuam, quia Deus meus es tu (Psal. CXLII, 10). Omnia enim licent, sed non omnia expediunt. Et de virginibus narrat Apostolus se Domini non habere praeceptum, vult tamen nos esse sicut seipsum (I Cor. VI). Ex quo ostendit nequaquam indulgentiam magistri sectandam esse, sed voluntatem (I Cor. VII); et ea nos debere eligere quae expediunt, non quae licent, ut illud est de digamia, Volo adolescentulas nubere, filios procreare, matresfamilias esse (I Tim. V, 14). Ponitque causas, cur ista concedat: Jam enim quaedam abierunt retro post Satanam.

## (Vers. 13, 14.)

Propter hoc haec dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. Ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis.

LXX: Propterea haec dicit Dominus: Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis. Ecce servi mei bibent, vos autem sitietis. Ecce servi mei gaudebunt, vos autem confundemini. Ecce servi mei exsultabunt in gaudio, vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, et propter contritionem spiritus vestri ululabitis. Non solum gladio corruetis vos qui dereliquistis Dominum, et fecistis malum in conspectu ejus, et praesentem noluistis audire,

sed multam inter vos et gentium multitudinem cernetis differentiam. Illi enim qui servi erunt mihi, comedent, et bibent, laetabuntur, et laudabunt prae exsultatione cordis. Vos autem e contrario, esurietis atque sitietis, confundemini et prae dolore cordis et contritione spiritus ululabitis. Quae omnia --- in mille annis putant esse complenda, cibum et potum, regnum Dei esse credentes, nec intelligentes illud quod scriptum est: Operamini non cibum qui perit, sed panem vitae et veritatis (Joan. VI, 27), et carnem Christi, et fructum ligni vitae comedere cupientes. De quo Salvator loquitur: Ego sum panis qui de coelo descendi (Joan. VI, 33). Et Ecclesiastes: Aperi oculos tuos, et saturare panibus (Prov. XX, 13). Et Psalmista: Juvenis, inquit, fui et non senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus quaerens panem. Tota die miseretur et commodat, et semen ejus in benedictionem erit (Psal. XXXVI, 25). De isto pane et convivio spirituali, discipulos instruebat: Vos qui perseverastis mecum in tentationibus meis, edetis in mensa Patris mei in regno coelorum (Luc. XXII, 28). Quod si de simplici pane accipiamus, quomodo illud explanare poterimus: Non interficiet fame Dominus animam justam (Prov. X, 3). Et iterum: Cognoscit Dominus vias immaculatorum, et haereditas eorum erit in sempiternum. Non confundentur in tempore pessimo, et in diebus famis saturabuntur (Psal. XXXVI, 18, 19). Quanti enim sancti in persecutione moriuntur fame et egestate confecti; quanti justi esuriunt, et impii cruditatibus distenduntur! Potus autem ille accipiendus est, qui hauritur de fontibus Israel; quem qui biberit, habebit in se fontem aquae salientis in vitam aeternam (Joan. IV; Luc. XXII). Quem et Salvator in regno Patris se bibiturum cum Apostolis pollicetur: qui laetificat cor hominis (Psal. CIII, 14), ita ut bibentes possint dicere: Dedisti laetitiam in corde meo (Psal. IV, 7). De hoc cibo et potu inter octo beatitudines dicitur: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (Matth. V, 6). Et mater Domini plena sancto Spiritu prophetabat: Esurientes implevit bonis (Luc. I, 53), qui prius cibum Domini non habebant: et divites

dimisit inanes, qui dati sunt pro sepultura ejus; et quem Prophetae promiserant, respuerunt. De quibus et in alio loco Psalmista decantat: Divites eguerunt, et esurierunt (Psal. XXXIII, 11), id est, populus Judaeorum. Qui autem quaerunt Dominum, hoc est, turba gentilium, non egebunt omni bono. Cumque servientes Christo, et credentes ei laetati fuerint, et laudaverint Deum prae exsultatione cordis et gaudio: tunc illi confundentur, videntes in suum locum alios successisse; et clamabunt prae dolore cordis, implentes illud quod scriptum est: Ibi erit fletus et stridor dentium (Matth. XIII, 50): quando steterint agni gentium atque justorum ad dexteram, et haedi Judaeorum atque impiorum a sinistris: aliis recipientibus aeterna praemia, aliis aeterna supplicia. Contritio autem spiritus prae dolore cordis intelligenda in conscientia peccatorum, juxta illud quod scriptum est: Cognoscent errantes spiritu intelligentiam (Isa. XXIX, 24). Et: Cor contritum et humiliatum Deus non despicies (Psal. L, 19). Conteritur spiritus quando fuerit elevatus; quod de rege inimico Israel scribitur: Induravit Dominus spiritum ejus (IV Reg. XVII, 14). Et de Babyloniorum principe, quando elevatum est cor ejus, et induratus spiritus, ut superbiens diceret: Haec est Babylon, et ego feci eam (Dan. IV, 27).

## (Vers. 15, 16.)

Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis, et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen: et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen.

LXX: Relinquetis enim nomen vestrum in saturitatem electis meis. Vos autem interficiet Dominus: servientibus autem mihi vocabitur nomen novum, cui benedicetur super terram: benedicent enim Deum verum, et qui jurant super terram: jurabunt Deum verum. Pro saturitate, quae Hebraice dicitur SABAA, caeteri juramentum interpretati

sunt; quod verbum multas habet intelligentias, et pro diversitate accentuum variatur. Intelligitur enim et juramentum, et saturitas, et satietas, et plures, et septem. De quo in libro Geneseos diximus, et in hoc volumine (Ad cap. IV), ubi septem mulieres apprehenderunt unum virum. Rursum pro eo quod Septuaginta transtulerunt, verum, et in Hebraico dicitur, AMEN, Aquila vertit --- id est, fideliter. Quod autem dicit, hoc est: aliis in vestrum succedentibus locum, nomen vestrum erit juramentum electis meis, ut pro malorum exemplo vos habeant et detestentur talia sustinere, et jurent sic; non haec patiar quae passus est populus Judaeorum. Sive nomen vestrum erit in satietatem: quod in his dici solet, quorum odiosa est recordatio et memoria. et qui usque ad saturitatem nauseamque venerunt. Vel certe hoc dicendum, quod nomen suum derelinquant electis Domini, ut pro illis gentium turba succedat; et ipsi appellentur filii Abraham et Israel. De quibus Paulus loquitur: Pax super eos, et super Israel Dei (Galat. VI, 16). Neque enim qui ex Israelitis sunt Israel; nec qui semen Abraham omnes filii (Rom. IX, 7), ad quos dicitur: Si filii essetis Abraham, opera Abraham faceretis (Joan. VIII, 39). Et quia semen sunt Abraham, et non filii, de quorum differentia supra diximus: propterea eos increpat Baptista Joannes, dicens: Et ne velitis dicere, patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae (Matth. III, 9). Quomodo enim possunt hujus esse filii, qui dixerunt ligno et lapidi, tu genuisti me: cum e contrario, qui ex fide sunt, hi appellentur filii Abrahae? Vos autem, inquit, interficiet Dominus, ut nequaquam appellemini circumcisio, sed concisio (Galat. III): ut vita careatis aeterna, ut non habeatis eum qui dicit: Ego sum vita (Joan. XIV, 6). Servos autem, ait, suos vocabit nomine alio, sive novo, quod in toto orbe celebrabitur. Et erit benedictum: in tantum, ut qui illo nomine fuerit appellatus, benedicatur in Domino, et signum verae Circumcisionis accipiat, amen: quo saepe in approbationem eorum quae dicta sunt, Dominus utitur in

Evangelio: Amen, amen dico vobis (Joan. V, 19). Nomen autem novum sive aliud, nullum est, nisi quod ex Christi nomine derivatur, ut nequaquam vocetur populus Dei Jacob, et Judas, et Israel, et Ephraim, et Joseph, sed Christianus. Quicumque enim juraverit in terra, nequaquam juraverit in idolis et falsis diis, sed in Deo: quae sententia rursum, amen signaculo comprobatur. Porro juxta Septuaginta qui pro amen, verum Deum interpretati sunt, ut benedicatur Deus verus, et qui jurant super terram, jurent Deum verum, non secundum errorem Arianorum referimus ad personam tantum Dei Patris, de quo scriptum est: Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan. XVII, 3): sed ad Filium, qui et ipse verus Deus est, dicente evangelista Joanne: Venit Filius Dei, et dedit nobis mentem, ut cognoscamus verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo (Joan. V, 20). Iste est verus Deus et vita aeterna. Si enim Salvator de se loquitur: Ego sum veritas (Joan. XIV, 6), consequenter verus Deus a veritate nomen accepit, ut nequaquam secundum falsos deos appelletur Deus, sed secundum verum Deum Patrem, et ipse sit verus Deus. Alioquin si non est verus, erit idolo similis, quod redundat in capita eorum, qui Christum verum Deum negant. Hoc est autem nomen novum, quod ei in Apocalypsi super calculo scribitur (Cap. II), cui in toto orbe benedicitur.

## (Vers. 17, 18.)

Quia oblivioni traditae sunt angustiae priores, et quia absconditae sunt ab oculis meis. Ecce enim creo coelos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora: et non ascendent super cor: sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quae ego creo.

LXX: Obliviscentur enim tribulationis prioris, et non ascendet super cor eorum. Erit enim coelum novum, et terra nova: et non recordabuntur priorum, et non veniet

super cor eorum; sed gaudium et exsultationem invenient in ea. Causa laetitiae et confessionis Dei veri est, quia aeterna angustiarum priorum succedet oblivio, ut nequaquam idolorum meminerint et erroris pristini, sed ad lucem de tenebris transeant, ut aeterna beatitudine perfruantur. Obliviscentur enim pristina mala, non oblivione memoriae, sed bonorum successione, juxta illud quod scriptum est: In die bona oblivio malorum (Eccles. XI, 27). Et alibi: Afflictio horae oblivionem facit deliciarum (Ibid., 29): eo quod in angustiis constituti, nequaquam voluptatibus pristinis, juxta errorem, Epicuri animo perfruantur. Licet possit et hoc dici, quod in coelo novo, et in terra nova, omnis conversationis pristinae memoria deleatur: ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiae recordari. Coelum autem novum et terram novam, qui putant omnia interire quae cernimus, Evangelii interpretantur testimonio: Coelum et terra transibunt (Matth. XXIV, 35). Et Pauli apostoli: Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna (II Cor. IV, 18). Porro qui novitatem, commutationemin melius, et non elementorum arbitrantur interitum, illo utuntur exemplo: A principio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et quasi amictum involves eos, et mutabuntur (Psal. CI, 26, 27). In quo perspicue demonstratur perditionem et interitum, non abolitionem in nihili, sed commutationem sonare in melius. Neque enim illud quod in alio loco scriptum est: Luna fulgebit ut sol, et sol septuplum lumen accipiet (Isai. XXX, 16), interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, nostrae conditionis ponamus exempla: Infans cum in puerum creverit, et puer in juvenem, et juvenis in virum, et vir in senem, nequaquam per singulas aetates perit. Idem enim est qui prius fuit; sed paulatim immutatur, et aetati pristinae perisse dicitur. Quod intelligens et Paulus apostolus loquebatur: Praeterit enim figura hujus mundi (I Cor. VII,

31). Consideremus quid dixerit: Figura praeterit, non substantia. Hoc idem significat et Petrus: Latet eos hoc volentes: quoniam coeli erant ab initio; et terra de aqua, et per aquam, Dei sermone subsistit: per quae prior mundus inundatus diluvio periit. Coeli autem qui nunc sunt et terra, eadem ratione servantur igni (II Petr. III, 5 seqq.): quo sensu accipiendum sit, postmodum docet: Novos autem coelos, et novam terram videmus, et repromissionem ejus (Ibid., 13): non dixit, alios coelos et aliam terram videbimus, sed veteres et antiquos in melius commutatos. Possumus et hoc dicere, quod conversi ab idololatria, et pristino errore deserto, novos coelos et novam terram videant: nequaquam arbitrantes elementa deos, et ea quae nascuntur ex terra. Nunc confitemur coelum et terram opera esse manuum Dei: illo autem tempore, servos et creaturam venerabamur obsequio Dei, quod et S. David sentiens cantat in psalmo: Videbo coelos opera digitorum tuorum (Psal. VIII, 4): non quo eo tempore coelos non viderit, cum ista dicebat; sed quo per singula augmenta virtutum, et futurorum scientiam, novos videat, quos veterascere jam videbat. Quod autem in fine hujus testimonii dicitur: Quae ego creo, a Septuaginta praetermissum est.

## (Vers 19.)

Quia ecce ego creo Jerusalem exsultationem, et populum ejus gaudium: et exsultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo.

LXX: Quia ecce ego facio Jerusalem exsultationem, et populum meum laetitiam, et exsultabo super Jerusalem, et laetabor super populo meo. Gaudere, inquit, et exsultare debetis laetitia sempiterna in creatione novorum coelorum, et terrae novae, et priorum penitus non meminisse: ne qua vobis recordationis antiquae oriatur tristitia: quia non solum coelos novos et terram novam, sed Jerusalem quoque creabo in

exsultatione, et populum ejus in gaudio. Haud dubium quin universae terrae, ut quae vetus uni genti gaudium erat, nova cunctis nationibus laetitiae sit. In tantum autem exsultatio erit omnium, atque laetitia super urbe et populo Dei, ut ego quoque conditor ejus exsultem et gaudeam super Jerusalem, et super populo meo qui comedet et bibet et laetabitur, et exsultabit in ea, et qui in nomine novo fuerit appellatus.

## (Vers. 20.)

Et non audietur in eo ultra vox fletus, et vox clamoris: non erit amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos. Quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.

LXX: Et non audietur ultra in ea vox fletus, et vox clamoris: neque fiet ibi ultra immaturus et senex, qui non impleat tempus suum. Erit enim infans centum annorum, et qui moritur peccator centenarius, maledictus erit. Neque enim congruum erit, ut in civitate Jerusalem et populo Dei, qui exsultationis et gaudii aeternam suscipiet creaturam, audiatur ultra vox fletus et clamoris; quando abierint dolor, moeror et gemitus. Contraria quippe simul esse non possunt. Et ubi exsultatio est, et gaudium, qui fructus est Spiritus sancti, ibi fletus et planctus non potest commorari, qui aptus est lamentantibus atque lugentibus, et praecipue clamor, quem de Ecclesia credentium Paulus expellit, ne in similitudinem Judaeorum, pro judicio faciamus clamorem (Ephes. IV). In tali urbe diversae aetates non erunt: infans et senex, parvus et magnus, qui non impleat dies suos; sed quasi filii resurrectionis, omnes pervenient in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut nec desint alicui annorum spatia, nec supersint, et alio necdum solidas habente vires, alius desinat esse quod fuerit, et decrepita aetate marcescat; pervenientque omnes ad centenarium numerum, qualis fuit Abraham, qui promissionem filii Isaac, hac aetate

suscepit (Genes. XXI). De cujus numeri laudibus, non necesse est plurima memorare, ne superflua sit disputatio. Hoc tantum dicimus, quod decem decades aequalia habent latera, et quadrae formae possident firmitatem. In repromissionibus quoque pro his quae consumpsimus, multiplicata nobis centuplum Dominus pollicetur, et in bonam terram sementis cadens, primum habet uberrimae frugis numerum centenarium. Denique et Isaac unam sementem jaciens fidei, hoc numero laboris sui opera multiplicata suscepit. In illo igitur tempore, quando aetas fuerit una cunctorum, et sanctus et peccator erunt simili resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore; sed alius ad praemia, alius ad supplicia pertrahetur: et in eo peccator maledictus erit, quod incorrupto corpore poenas patietur aeternas. Illud quoque quod in Apocalypsi Joannis legimus (Cap. XX), post resurrectionem exhiberi praesentiae judicis parvos et magnos, non aetatum, sed meritorum significat differentias. Qui enim parvus est juxta sententiam Salomonis, dignus est misericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur (Sap. VI, 7). In quem sensum et Domini verba consentiunt: Servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit eam, vapulabit multis (Luc. XII, 47). Qui vero nescit, et fecerit digna plagis, vapulabit paucis. Beatus apostolus Paulus, Christo in se loquente, Scripturam veterem edisserens, Abraham patriarcham non solum circumcisionis, sed praeputii asserit patrem (Rom. IV), hoc est, duos ex eo populos esse generatos, et eum qui juxta carnem natus fuerat, centenarius propter Christum, qui de Abraham stirpe generatus est, in quem ille miserit manus, maledictioni perpetuae subjacere. Hanc figuram docent Evangelia (Marc. V), quibus fertur tunc haemorrhousam aegrotare coepisse, quando nata est filia archisynagogi, et quando ista sanata sit, statim illam esse mortuam, uno atque eodem annorum spatio, novum populum in juventute persistere, et veterem in infidelitate mori, et esse maledictum. Hoc juxta Septuaginta interpretes diximus, quorum editio toto orbe

vulgata est: ne in loco famosissimo videremur ad Hebraeae linguae arcem confugere. Quod sive post resurrectionem intellexeris in secundo Salvatoris advento, sive post baptismum in prima resurrectione credendum, non abhorret ab Ecclesiae fide. Hebraei haec ante resurrectionem in mille annorum regno super terram futura contendunt, et tam longa futurae vitae spatia repromitti, ut centum anni reputentur infantiae; peccatorem autem centesimo aetatis suae anno esse moriturum: ne videlicet paratis opibus perfruatur; sed ob peccatum, maledictum esse se noverit. Quod si ita est, ubi erit beatitudo perfecta, quae peccato violatur atque corrumpitur, et peccatum immatura morte punitur?

## (Vers. 21. 22.)

Et aedificabunt domos, et habitabunt; et plantabunt vineas, et comedent fructus earum. Non aedificabunt, et alius habitabit: non plantabunt, et alius comedet.

LXX similiter. De his domibus, et in sexagesimo octavo psalmo sermo propheticus pollicetur, dicens: Quia Deus salvam faciet Sion: et aedificabuntur civitates Judae, et habitabunt ibi, et haereditate acquirent illam, et semen servorum ejus possidebit eam: et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea. Quae omnia Judaei accipiunt carnaliter, ut Jerusalem urbesque Judaeae restituantur in pristinum statum. Quod si eis dederimus, audiant non solum hoc Jerusalem, sed et Sodomae repromitti, dicente Ezechiele: Restituetur Sodoma in antiquum (Ezech. XVI, 55). Ergo domus, in quibus habitaturi sunt qui aedificant eas, vel Virtutes intelligendae sunt, vel diversae mansiones apud Patrem; quas jugiter possidebit, qui eas aedificaverit. Quales sibi aedificasse et obstetrices dicuntur in Exodo, quae timebant Deum: licet scriptum sit in Hebraico, a Deo eis aedificatas domos, quia timuerunt eum (Exod. I). Et Jacob quia simplex erat, sive ut Graece dicitur --- id est,

nequaquam fictus; nec talis quales in Petri Epistola condemnantur, de quibus ait: In avaritia fictis sermonibus de vobis negotiantur (II Petr. II, 3); idcirco habitabant in domo, quam Esau, qui feris delectabatur et silvis, possidere non potuit. Talem domum et Salvatoris in Evangelio verba describunt: Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, similis erit viro prudenti, qui aedificavit domum suam super petram, (Matth. VII, 24), et reliqua. Alioquin juxta litteram, multi sancti aedificant domos, et non habitant in eis, vel peregrinatione, vel alterius rapina, vel morte subtracti. Qualis fuit Job, qui dives carne et spiritu, in tantam deductus est paupertatem, ut in sterquilinio sederet extra portam civitatis (Job. II). E contrario dives ille in Evangelio purpuratus aedificavit domum, et habitavit in ea, cui rectissime dici poterat: Stulte, hac nocte auferetur anima tua a te; quae autem praeparasti, cujus erunt (Luc. XII, 20)? Non solum autem ait, aedificabunt domos, et habitabunt in eis: sed plantabunt quoque vineas, et ipsi comedent fructum earum. Juxta illud quod in Michaea dicitur: Requiescet unusquisque sub vinea sua et sub ficu sua; et non erit qui exterreat (Mich. IV, 4). Haec est vinea quae in Evangelio loquebatur: Ego sum vitis, et vos palmites, et Pater meus agricola (Joan. XV, 5) Omnis qui non facit fructum excidetur, et in ignem mittetur (Matth. III, 10). Hujus fructus comeduntur et bibuntur, et laetificant cor hominis, et inebriant amicos sponsi, et in regno Dei bibuntur quotidie. Sub ficu autem requiescit, et nullius insidias reformidat, qui dulcedine sancti Spiritus fruitur, et illius fructibus saturatur, charitate, gaudio, pace, fide, continentia, patientia. De hujuscemodi dicitur plantatore: Qui plantaverit ficum, comedet fructus ejus (Amos IX, 14). Qui tales aedificaverit domos, et plantaverit vineas, de quibus et Apostolus loquitur: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit (I Cor. III, 6), comedet labores manuum suarum (Psal. CXXVII); et seminans in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam

(Joan. IV): nec diaboli et satellitum ejus fraudibus supplantabitur.

## (Vers. 23 seqq.)

Secundum dies enim ligni, erunt dies populi mei, et opera manuum eorum veterascent electis meis. Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis dicentibus, ego audiam. Lupus et agnus pascentur simul, et leo et bos comedent paleas, et serpenti pulvis panis ejus. Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

LXX: Etenim secundum dies ligni vitae, dies populi mei: opera laborum suorum inveterascere facient electi mei: non laborabunt in vacuum, neque filios generabunt in maledictionem: quia semen benedictum a Domino est, et nepotes eorum cum eis. Et erit antequam clament, ego exaudiam eos: adhuc loquentibus illis dicam, quid est? Tunc lupi et agni pascentur simul: leo autem quasi bos comedet paleas, et serpens terram quasi panem. Non nocebunt, neque corrumpent, in monte sancto meo, dicit Dominus. Aeterna erit habitatio atque plantatio justorum, ut dies vitae populi mei diebus vitae ligni comparentur, de quo in Psalmis dicitur: Justus ut palma florebit (Psal. XCI, 13), quotidie triumphans de adversariis, et insigne victoriae praeferens. Sin autem juxta Septuaginta legimus, dies ligni vitae, qui magis sensum ex Hebraeo vertere, quam verba, lignum vitae intelligimus, quod in paradiso situm est. Ad quod ne extenderet Adam manum suam ut viveret, ejectus est de paradiso (Genes, III). In cujus custodiam Cherubim, id est, scientiae multitudo, et ignita framea posita est, ut servarent viam ligni vitae, ne in peccato positus Adam, et necdum sua delicta cognoscens, comederet ex eo, et impoenitentiae desperationisque ac superbiae morte moreretur. Quod sit

hoc lignum vitae, Salomon exponit manifestius, qui de sapientia Dei disputans ait: Lignum vitae est omnibus qui accedunt ad eam, et qui innituntur super illam, quasi super Dominum firmitas (Prov. III, 18); nec dubium quin Verbum Dei significet, qui ipse est via atque sapientia, et de se loquitur: Ego sum vita (Joan. XI, 25). Et de qua Propheta decantat: Omnia in sapientia fecisti: repleta est terra creatione tua (Psal. CIII, 24); et apostolus Paulus: Christus Dei virtus, et Dei sapientia (I Cor. I, 24). Opera quoque populi Dei non veterascent, sed innovabuntur quotidie, ut non ambulent in vetustate litterae, sed in novitate spiritus (Rom. VII). Ut quomodo per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt plurimi: sic per obedientiam unius hominis, justi constituantur multi. Vel certe hoc dicendum, quod opera eorum veterascant, quorum domus fundata super petram, permanet in aeternum, et qui aedificarunt super fundamentum Christi, aurum, argentum, lapides pretiosos (I Cor. III): et econtrario eorum opera dispereant, quorum domus fundata super arenam, subita tempestate subvertitur; et qui aedificaverunt super fundamentum Christi, ligna, fenum, stipulam. An non tibi videtur quotidie inveterare opera sua, qui praeteritorum oblitus, in futurum extenditur? Unde et vetus et novum dicitur Testamentum: non quo vetus pereat, sed quo novo aliud non succedat. Hoc quoque juxta Hebraicum dici potest, quod opera populi et in Christo credentium, fructus sint Apostolorum, id est, electorum Dei, et in thesauris eorum recondantur. Multi enim vocati, et pauci electi (Matth. XX). Isti non laborabunt frustra, ut quondam laboravere Judaei; sed labores manuum suarum manducabunt. Neque generabunt in conturbatione, sive in maledictione, et ut in Hebraico expressius ponitur, --- quod lingua eorum dicitur LABALA hoc est, ut esse desistant, et finem substantiae suae habeant: pro quo Aquila, Symmachus, et Theodotio festinationem interpretati sunt: ut nequaquam festinent absque ratione credere: sed imitentur Nathanael, qui Domini voce laudatus est: Ecce vere

Israelita, in quo dolus non est (Joan. XX, 47), qui Christum auctoritate Scripturarum quaerebat, et de Prophetis cupiebat agnoscere dicens: De Nazareth potest aliquid boni esse? Et est sensus: Quomodo mihi Messiam adducitis de Galilaea, et Nazareth, quem ego de Bethleem Juda scio esse promissum? Apostoli igitur et apostolici viri ita filios generabunt, ut de Scripturis sanctis instruant, ut non imitentur maledictionem Judaeorum, sed cum Propheta dicant: A timore tuo, Domine, in utero concepimus, et parturivimus et peperimus (Isai. XXVI, 18). De his enim dictum erat: Benedicta progenies uteri tui (Deut. XXVIII, 4). Tales sunt filii Abraham, qui faciunt opera ejus: et in veteri historia appellantur filii Prophetarum (Joan. VIII): quales et in novo Instrumento Apostoli genuerunt (Act. XVI), Paulus Timotheum, Lucam, et Titum, multosque alios; Petrus Marcum evangelistam, et caeteri caeteros, quorum benedictum semen est, et hucusque benedicitur, et permanent filii filiorum. De quibus Propheta dicit: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur (Psal. CXI, 1, 2). Et alibi: Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum (Psal. CXXVII, 4, 5). Econtrario de Juda dicitur proditore, et omnibus qui similes ejus sunt, Fiant filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua. Commoveantur et transferantur filii ejus, et mendicent, ejiciantur de domibus suis (Psal. CVIII, 9, 10). Generationis enim malae finis est pessimus. Qui concipiunt dolorem, et pariunt iniquitatem. De quorum scriptum est principe: Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem (Psal. VII, 15). Si autem hoc de impiis dicitur, quomodo Samuel, vir beatus et justus, filios pessimos genuit, qui non ambulaverunt per viam patris (I Reg. VIII); et S. David, de cujus Christus natus est semine, duos genuit filios, Ammon et Abessalon, quorum alter fratris, alter patris exstitit parricida (II Reg. XIII, XV et XVI)? Ex quibus omnibus discimus, filios et

nepotes secundum id intelligi debere quod diximus. Juxta quod et Paulus filios parturit, donec Christus formetur in eis, et Onesimum in vinculis generat (Galat. IV). Qui cum clamaverint, statim exaudientur, et illis loquentibus, dicet Dominus, Adsum. Quae omnia etiam juxta litteram in Actibus Apostolorum cernimus esse completa. Neque enim potuissent omnes gentes in tam brevi tempore credere, nisi signorum miraculis fides eorum quodammodo esset extorta. Loquentibus enim et clamantibus Apostolis et apostolicis viris, Dominus signorum magnitudine respondebat, ut Dorcas ad preces Petri surgeret (Act. IX), ut Publii pater in insula Melita febribus et dyssenteria, qui morbi inter se contrarii sunt, Pauli precibus sanaretur, et ut eos totus orbis deos inter homines diceret ambulare (Act. XXVIII). Tunc lupus et agnus pascebantur simul, persecutor Paulus, et Ananias discipulus (Act. IX). Ille lupus, de quo scriptum est: Benjamin lupus rapax, mane comedet praedam, et ad vesperam dabit escas (Gen. XLIX, 27); sive ut in Hebraico dicitur, dividet spolia. Cujus doctrina cibus fuit credentium, et qui in toto orbe de superatis adversariis triumphavit. Agni autem credendi sunt omnes, qui in vestibus candidis sequuntur Agnum quocumque vadit (Apoc. XIV), quos Dominus Petro tradidit ad pascendum dicens: Pasce agnos meos (Joan. XXI, 16). Leo quoque ut bos comedet paleas, quando viri disertissimi, et quondam apud saeculum potentes, Scripturarum se tradunt rusticitati, ut nequaquam saeculari pascantur eloquentia, quae instar mellis stillat de labiis meretricis, sed vilitatem et paleas sequantur historiae, donec multo labore atque industria mereantur ad frumentum sensuum pervenire. De quibus paleis et frumento Jeremias loquitur: Quid paleis ad triticum, dicit Dominus (Jerem. XIII, 28)? Et considerandum, quod non bos vertatur in rabiem, sed leo mutetur in mansuetudinem. Serpens etiam qui observabat hominis calcaneum, et cujus ab homine observabatur caput, nequaquam aliorum nutrietur interitu, sed terram, sive pulverem quasi panem comedet (Genes. III). Aut

certe sic intelligendum, quod diabolus qui prius hominum mortibus pascebatur, eos tantum comedat, qui pulvis ac terra sunt: per quae omnia demonstratur malorum in bonum commutatio, qui innoxii erunt, antiqua feritate deposita: non foris, sed in monte sancto Domini, hoc est, in Ecclesia, et in confessione ejus montis, a quo vulneratus est princeps Tyri, et qui excisus de monte sine manibus, crevit in montem magnum, et implevit orbem (Daniel. II). Interrogemus in hoc loco Judaeos, et omnes qui sub nomine Christiano adhuc paleas comedunt Scripturarum, quae ventilabro Domini a tritico separatae, vento tradentur et flammis, quae beatitudo sit aestimanda, ut in mille annorum regno, in Sion monte, civitate Christi praesentis Jerusalem; et in Templo augustissimo, lupi et agni, leones et boves, serpentes et homines simul comedant, pariterque commorentur? et hi tantum innoxii sint, qui in monte sancto Domini habitaverint? Ex quo intelligimus omnes, qui extra montem fuerint, occidendos. Nudabitur ergo lupis, leonibus, ursis, pardis atque serpentibus, et caeteris bestiis universus orbis; et immensi saltus, et Aegyptiae vastitas solitudinis, quae venenatorum animantium fertilis est, et pro summa felicitate civitas sancta non solum hominum, sed et bestiarum atque serpentium erit habitaculum, ut juxta superiorem prophetiam, habitet lupus cum agno, et pardus cum haedo, vitulus et leo, et oves cum ursis simul morentur (Isai. XI); et puer parvulus regat eos, et infans ab ubere mittat manum in foramen aspidis, et in caverna sua interficiat regulum. Causaque sit tantae felicitatis, quia repleta est omnis terra scientia Domini.

## (Cap. LXVI---Vers. 1.)

Haec dicit Dominus: Coelum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum. Quae est ista domus quam aedificabitis mihi, et quis est iste locus requietionis

meae? Omnia haec manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus.

LXX similiter. Ne montem sanctum intelligeremus Sion, et Judaico operiremus errore, qui putant exstruendam Jerusalem, et omnia quae Dominus pollicetur, ibi explenda carnaliter, aufert nobis hanc suspicionem; et ponit testimonium, quo usus est Stephanus primus martyr in Christo adversum Judaicam contentionem (Act. VII). Salomon aedificavit ei domum, haud dubium quin Deo; sed non in manufactis excelsus habitat, sicut Propheta ait: Coelum mihi thronus est: terra autem scabellum pedum meorum. Et Paulus in eodem volumine: Deus qui fecit mundum, et qui in eo sunt, nequaquam in templis manufactis habitat (Act. XVII, 24). Si enim instar sedentis in solio atque regnantis, coelum thronus ejus est, et terra scabellum pedum illius, quomodo parvo claudetur loco, qui complet omnia, et in quo sunt omnia? Unde et Moyses: Ne dicas, inquit, in corde tuo, Longe est: Deus enim in coelo sursum, et super terram deorsum: et non est alius praeter eum Deus (Deut. IV, 39). Et Psalmista: Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in coelum, illic es: si ad inferna descendero, ades (Psal. CXXXVIII, 7). Cui et Jeremias ex persona Dei congruit, dicens: Deus appropinquans ego: et non de longe Deus. Numquid latere quis poterit in absconditis, et ego non videbo eum? Nonne coelum et terram ego impleo (Jerem. XXIII, 23, 24)? In ipso enim omnes sumus et movemur (Act. XVII). Hoc autem dicit, ut Judaicum convincat errorem, qui putant invisibilem, et incorporalem, et incomprehensibilem Deum, templo Jerusalem posse concludi. Quod quidem et ipse Salomon, exstructor Templi, in oratione sua ad Dominum prolixius confitetur (III Reg. VIII). Ac ne arbitremur coelo quoque et terra Dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus: Qui tenet coelum palmo, et terram pugillo (Isai. XL, 12). Per quae ostenditur Deus et forinsecus, et intrinsecus, et infusus, et circumfusus, dum et solio

ambiente non concluditur, et pugillo concludit ac palmo. Qui non solum coeli et terrae, sed et invisibilium creator est Angelorum, et Archangelorum, Dominationum, Potestatum, et cunctorum hominum, de quibus Apostolus loquitur (Coloss. I): quae omnia Dei manus operata est. De qua et Job et Psalmista commemorant: Manus tua fecit me, et plasmavit me (Job. X, 18; psal. CXVIII, 73). Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. De quo rursum Joannes: In mundo, ait, erat; et mundus per ipsum factus est (Joan. I). Ipse enim dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt (Psal. XXXII). Et hoc quod Scriptura Geneseos mystico sermone demonstrat, dixit Deus, et fecit Deus (Genes. I). Verbo enim Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Nullusque locus est requietionis Domini, nisi iste quem Propheta subnectit.

## (Vers. 2, 3.)

Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficiat hominem. Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. LXX:

Et super quem respiciam, nisi humilem et quietum, et trementem sermones meos? ÷ Iniquus autem ** qui immolat vitulum quasi percutiens virum. Sacrificans de grege, quasi qui occidat canem. Qui offert similam, quasi qui sanguinem suillum. Qui dat thus in memoriale, quasi blasphemus. Sublato altari Temploque terreno, quod humana construxerat manus, recte auferuntur et victimae Judaeorum, ne forsitan dicerent: Non tam stulti sumus, ut Deum putemus loco posse concludi; sed in separato ad sacrificandum loco, Deo victimas immolamus, quae lege praecepta sunt. Habitator igitur coeli, immo Creator omnium qui in terris templum habere se denegat,

humilem et quietum, et trementem sermones suos hominem libenter assumit in templum, juxta illud Apostoli: Vos autem estis templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis. Si quis violat templum Dei, violabit illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. III, 16, 17). Quicumque ergo humilis est et quietus, et tremens sermones Dei, ipsum respicit Dominus; et de ipso dictum intelligi potest, quod sub terrae nomine prophetatur: Terra tremuit et quievit, cum resurgeret ad judicium Deus (Psal. LXXV, 9, 10). Habitatores enim ejus, pro quibus --- terra dicitur, considerantes judicium Dei, quietem agunt a malis operibus; et sedentes in domo, aeterno requiescunt sabbato, ne moveant se ad opus servile peccati, sicut aedificatores turris moverunt quondam de Oriente pedes suos, et ortum veri luminis reliquerunt. Nec audierunt illud quod ad Cain dicitur: Peccasti, quiesce (Genes. IV). Sed juxta Proverbia Salomonis: Qui audit Deum, habitabit confidens, et quiescet absque timore ab omni malo (Prov. I, 33). Iste est humilis atque pauperculus, et contritus spiritu, tremensque sermones Domini, de quo scriptum est in Evangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum (Matth. V, 3). Et alibi: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (Psal. XL, 1). Et rursum: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (Isai. LXI, 1). Quodque sequitur in editione Vulgata: Iniquus autem, in Hebraico non habetur, sed simpliciter jungit et dicit: Qui immolat bovem, quasi qui interficiat hominem. Quod et in alio scriptum est loco: Misericordiam volo, et non sacrificium: scientiam magis Dei, quam holocaustum (Osee VI, 6). Et per Malachiam: Omnia quae oderam, faciebatis: operientes lacrymis altare meum: numquid dignum est ut respiciam ad sacrificium vestrum, et suscipiam placabile quid de manibus vestris (Malach. II, 13)? Audiant Judaei quod Deus non quaerat sacrificia, sed offerentium animum. Et qui mactat, inquit, pecus, quasi qui excerebret canem. Unde et per Moysen scriptum est: Non offeres

mercedem meretricis: neque pretium canis in domo Dei tui. (Deut. XXIII, 18). Pulchreque canis et meretrix copulantur, quia utrumque animal pronum est ad libidinem. Simulque consideremus quod non dixerit: Qui immolat arietem, quasi qui immolat canem; sed occidat, inquit, canem. Quod verbum non ponitur in sacrificiis, sed in his quae trucidantur illicite. Qui offert oblationem et sacrificium, quasi qui sanguinem suillum offerat. Quod et ipsum Lege prohibetur, tales sunt caeremoniae Judaeorum (Levit. XI, et Deut. XIV). Qui thus tribuit quasi blasphemus, immo quasi benedicens idolo. Potest autem et hic esse sensus: Post Filium meum qui venit mansuetus et pauper, sedens super pullum asinae, nolo carnes, victimas detestor, sacrificia Judaeorum, umbras Legis reprobo, quia delectabilis mihi est veritas Evangelii (Zach. IX, et Matth. XXI, et Luc. XIX, et Joan. XII,). Sin autem hoc dicitur, quod post fulgur Evangelii, vetus religio cesset in nube: quid respondebunt, qui credentes ex Judaeis arbitrantur absque noxa sui posse carnaliter offerre sacrificia?

## (Vers. 4.)

Haec omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. Unde et ego eligam illusiones eorum, et quae timebant, adducam eis. Quia vocavi, et non erat qui responderet: locutus sum, et non audierunt: feceruntque malum in oculis meis: et quae nolui, egerunt.

LXX: Et ipsi elegerunt vias suas, et abominationes suas anima eorum voluit: et ego eligam illusiones eorum, et peccata retribuam eis. Quia vocavi eos, et non obaudierunt: locutus sum, et non audierunt. Et fecerunt malum in conspectu meo, et quae nolebam elegerunt. Immolare bovem, mactare arietem, offerre sacrificium, thura succendere, quae ita habet Deus, quasi homicidium, et oblationem canis: et suillum sanguinem

atque blasphemiam ipsi elegerunt; et ut talia colerent, eorum arbitrii fuit; juxta quod dicit per Ezechiel: Dedi eis justificationes non bonas, et praecepta non bona (Ezech. XX, 11). Et in viis, inquit, suis ambulaverunt, non in via Domini. Et abominationes suas anima eorum voluit, ut amatores magis essent sui, quam amatores Dei. Quam ob causam, illis eligentibus vias suas, et non eum qui dicit: Ego sum via (Joan. XIV, 6), et Dominus elegit illusiones, sive illusores eorum, qui Hebraice dicuntur THALULE, id est, --- ut constituat principes pessimos, et omnia mala eorum, sive quae timebant, pariter adducat. Causasque reddit, cur traditi sint Scribis et Pharisaeis illusoribus suis, de quibus primus psalmus juxta Hebraeos canit: Et in cathedra illusorum non sedit: quos appellant Septuaginta pestilentes: quales fuerunt filii Eli, filii pestilentiae, pro quo in Hebraico scriptum est BELIAL, hoc est, diaboli. Quia, inquit, vocavi, et non erat qui responderet: locutus sum, et non audierunt: feceruntque malum in oculis meis: et quae nolui, elegerunt. Quos versus secundo ponit in praesenti loco, et supra, ubi dicitur: Numerabo vos in gladio, et omnes in caede corruetis: quia vocavi, et non respondistis (Isai. LXV, 12), et caetera similiter. Quod testimonium, quo sensu accipi debeat, ibi dictum est.

## (Vers. 5.)

Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri qui oderunt vos, et abjecerunt propter nomen meum: Glorificetur Dominus, et videbimus in laetitia vestra: ipsi autem confundentur.

LXX: Audite verbum Domini, qui tremitis sermonem ejus. Dicite fratribus vestris, qui oderunt vos, et abominantur ut nomen glorificetur Domini: et appareat in laetitia eorum: et illi confundentur. De quibus ante jam dixerat: Super quem respiciam, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos? ipsis praecipit ut, contemptis victimis Judaeorum, et omni Scribarum ac

Pharisaeorum tumore despecto, transeant ad ejus cultum, quem vocantem illi audire noluerunt, atque contempserunt, et fecerunt malum in conspectu ejus. Nec hoc praeceptorum fine contentus est, sed imperat eis mandatum Evangelii (Luc. VI), ut diligant inimicos suos, benefaciant his qui oderunt se, et orent pro persecutoribus suis, et imitentur clementiam Patris, qui oriri facit solem suum super justos et injustos: Ut videntes, inquit, opera vestra, glorificent Patrem vestrum qui in coelis est (Matth. V, 16). Quod post generalem intelligentiam specialiter Apostolis praecipitur et apostolicis viris, ut diligant Judaeos persecutores suos, et eos qui se abominantur, in loco fratrum habeant, dicentes cum Petro: Viri fratres et patres, audite; et Paulo apostolo: Tristitia mihi est, et continuus dolor cordi meo pro fratribus meis qui sunt Israelitae (Rom. IX, 2). Glorificatur autem nomen Domini, quando viderint homines persecutorum ferociam nostra frangi patientia, et verberantem manum, alterius malae obversione confundi. Quibus in Evangelio praecipitur: Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes bona opera vestra, glorificent Patrem vestrum qui in coelis est (Matth. V, 16); et in Apocalypsi Joannis: Timete Deum, et date ei gloriam (Apoc. XIV, 7). Paulus quoque scribit ad Corinthios, provocans eos ad continentiam: Ut glorificetis Deum in corpore vestro (I Cor. VI, 20). Et rursum: Sive comeditis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite (I Cor. X, 31). Unde et Dominus maledicentibus non remaledicebat (I Petr. II): et pro persecutoribus precabatur. Quod autem praecipit: Dicite fratribus vestris (Matth. XXVIII, 10), non simpliciter accipiendum est, alioquin multi fratres vocant, et in corde non retinent charitatem, de quibus scribit Apostolus: Deum confitentur se scire, operibus autem negant (Tit. I, 16). De quibus et Dominus loquebatur: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est (Matth. VII, 21). Sicque stare potest illa sententia: Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (I Cor.

XII, 3). Nam cum haeretici dicant Dominum Jesum, et multi in resurrectione dicturi sunt: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et virtutes multas fecimus (Matth. VII, 22)? Respondebit eis Dominus: Recedite a me, nescio vos, operarii iniquitatis. Ergo dicere, non sermone, qui facilis est, sed affectu et operibus comprobatur. Ex quibus discimus, eumdem esse utriusque Testamenti Dominum qui praecipit, ut si viderimus jumentum inimici nostri cadere sub onere suo, non transeamus, sed levemus cum eo, et si bovem aut asinum invenerimus errantem, reddamus ei (Luc. XV, Matth. XVIII). Haec juxta LXX. Porro juxta Hebraicum, hic mihi sensus videtur: Audite, Apostoli, audite, discipuli mei, qui tremitis verbum Domini, narrabo quid dixerint fratres vestri qui oderunt, et separant vos, et arbitrantur alienos, non propter mala vestra; sed propter nomen meum, qui immundos existimant cunctos de sua in me gente credentes, et dicunt: Recede a me, quia immundus es. Quid ergo est quod eos dixisse commemorat: Glorificetur Dominus, et videbimus in laetitia vestra? Cujus versiculi hic sensus est: Quid nobis humilem introducitis Deum? quid crucifixum et virum dolorum, et scientem ferre infirmitates? volumus eum in sua (ut dicitis) majestate conspicere regnantem: suspiciemus et in sua gloria triumphantem, humilem atque dejectum videre non possumus. Statimque infert: Ipsi autem confundentur, subauditur, qui loquuntur talia, qui non intelligunt mysteria Scripturarum, malisque suis sentient ejus potentiam, quem pro humilitate contempserant.

## (Vers. 6.)

Vox populi de civitate, vox de Templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.

LXX pro fremitu, clamorem posuerunt, et caetera similiter. Volumus scire quae sit confusio Judaeorum, qui dixerunt: Glorificetur Dominus, ut vestram laetitiam

videamus, et triumphos regis vestri, nequaquam cassis promissionibus, sed oculis contemplemur. Vox, inquit, clamoris de civitate: haud dubium quin Jerusalem significet Romano exercitu circumdatam, et in tres partes intus seditione divisam, quando unus Templum obtinuit, et omnia prius sancta possedit, forinsecus contra hostes, intrinsecus contra cives dimicans. Eo tempore et in urbe, et in Templo, tam sacerdotum et Levitarum, quam vulgi ignobilis, mulierumque ac puerorum ululatus auditus est, quando reddidit Dominus retributionem inimicis suis, implens comminationem qua dixerat: Relinquetur vobis domus vestra deserta (Luc. XIII, 35); et illam prophetiam: Dereliqui domum meam. Quando praesides templi consona Angeli voce dixerunt: Transeamus ex his sedibus. De quibus non solum Josephus, Judaicae scriptor historiae, sed multis prius saeculis Psalmista testatur, dicens: Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate (Psal. LIV, 10), quae circumdedit muros ejus tota die et tota nocte, ita ut subverteretur civitas (Mich. III), et impleretur aliud vaticinium: Sion quasi ager arabitur: et Jerusalem quasi casula in cucumerario relinquetur (Isai. I, 8).

## (Vers. 7.)

Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die una: aut parietur gens simul? quia parturivit et peperit Sion filios suos: Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus.

LXX: Antequam parturiens pariat: antequam veniat dolor parturientium, effugiat, et peperit masculum. Quis audivit tale, et quis vidit simile? Si parturivit terra in die una; aut si nata est gens simul, quia parturivit et peperit Sion parvulos suos. Ego autem dedi exspectationem hanc,

et non recordata es mei, dicit Dominus. Nonne ego parientem et sterilem feci, dicit Deus tuus? Clamore resonante de Jerusalem et Templo ejus, quando obsessa atque subversa est, et inimicis Christi, qui Deum regem suscipere noluerunt, recipientibus pro impietate sua atque blasphemiis aeterna supplicia, Ecclesia in nomine Domini congregata, de qua in psalmo dicitur: Homo natus in ea: et ipse fundavit eam altissimus (Psal. LXXXVI, 5), antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus ejus, genuit masculum. Non enim multo tempore, ut populus Judaeorum per Abraham, et Isaac, et Jacob, et duodecim Patriarchas, et rursum per liberos eorum ac nepotes crevit in majus, sed ad Evangelicam praedicationem statim omnis mundus concepit, et parturivit, et peperit masculum, quem Pharao et Herodes conabantur occidere, qui et in S. Moyse, et in Christo salvatus in Aegypto est. Denique S. Abraham et Isaac masculos habuere liberos, et Jacob multorum filiorum pater, unam genuit filiam, pro qua dura perpessus est (Genes. XXXIV). Quod si filiae Salphaad Dei sententia recipiunt haereditatem patris (Num. XXVII), hoc considerandum est, quod pater earum in peccato suo mortuus sit, qui nullum filium genuit, et S. Moyses nihil super eis ausus fuerit judicare, sed retulit ad Dominum, qui eas ne inopes permanerent, jussit cognatibus copulari. Geneseos quoque narrat liber (Cap. VI), quod postquam coeperunt homines multi fieri et filiae eis natae sunt, acceperunt eas, non Angeli, sed filii Dei, de quibus orti sunt gigantes: sive ut in Hebraeo scriptum est --- id est, irruentes. Econtrario ad sanctum dicitur: Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae. Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae (Psal. CXXVII, 3). Et iterum: Videas filios filiorum tuorum (Ibid., 6). Peperit igitur Sion, hoc est, reliquiae ex Israel et Apostolorum credentium fides, masculum Dominum Salvatorem, qui in toto simul orbe generatus est, quod nullus audivit, quod nulla narrat historia, aut alicujus doctrina, ut omnes in brevi tempore crederent nationes.

Et de universis gentibus, una gens fieret Christianorum, de qua et Paulus loquitur: Si qua in Christo nova creatura vetera transierunt; ecce facta sunt nova (II Cor. V, 17): juxta illud quod alibi scriptum est: Et adorabunt in conspectu ejus omnes familiae gentium: quia Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Omnes enim, ait, gentes quas fecisti, venient, et adorabunt coram te, et glorificabunt nomen tuum (Psal. XXI, 28 et seqq.). De quo dicit Jacob: Ipse est exspectatio gentium (Gen. XLIX, 10). Et Psalmista: Spes omnium finium terrae (Ps. LXIV, 6). Et idem Isaias quem nunc edisserimus: Erit radix Jesse, et qui surget, ut princeps sit gentium, in ipso gentes sperabunt (Isai. XI, 10); implentibus Apostolis quod praeceptum est: Docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. XXVIII, 19), ut nascatur novus populus, de quo et vicesimus primus psalmus canit: Annuntiabunt coeli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus (Psal. XXI, 32). Et iterum: Populus qui creabitur, laudabit Dominum (Psal. CI, 19). Hic autem populus uno creatus est die, quem illustrat sol justitiae, dicente Scriptura: Erit tibi Dominus lux sempiterna (Isa. LX, 19). Possumus hoc quod dicitur: Orietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos, et ad illud tempus referre, quando una die tria millia et quinque millia de Judaico populo crediderunt (Act. II). Dicitur quoque in eodem Actuum Apostolorum libro quod de universis gentibus quae sub coelo sunt, fuerint in Jerusalem, qui audiebant variis linguis loquentes magnalia Dei (Ibid.). Quodque sequitur juxta LXX, Ego autem dedi exspectationem hanc, et non recordata es mei, dicit Dominus. Nonne ego parientem et sterilem feci, dixit Deus tuus, manifestius in Hebraico ponitur, cui et reliqui interpretes congruunt: Numquid ego qui alios parere facio ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus, secundum illud quod alibi dicitur: Qui plantavit aurem, non audiet, et qui finxit oculum, non considerat (Psal. XXXIX, 9); quod scilicet qui omnes

homines creavit ex nihilo, possit de universis gentibus unam partem in se credentium Ecclesiam facere. Denique in vicesimo octavo psalmo, ubi nos legimus: Vox Domini concutientis desertum (Psal. XXVIII, 8), in Hebraeo scriptum est: Vox Domini parere faciens desertum (Juxta Hebraeum), ut deserta prius Ecclesia generet, et perficiantur cervi apertis saltibus atque contritis. Porro juxta LXX hic sensus est, quod uno tempore ad praedicationem Evangeliorum, una gens totius orbis oriatur. Per multos prophetas saepe promisi, et non meministi promissionis meae, o urbs quae clamoribus es plena: o Templum quod a Domino derelictum est: o popule, cui reddidi vicissitudinem suam. Nonne ego, inquit, feci parturientem et sterilem; quae prius fuerat sterilis, postea parturivit et peperit? De qua in psalmo scribitur: Qui habitare faciat sterilem in domo, matrem filiorum laetantem (Psal. CXII, 9). Vel certe rerum ordo conversus est: Pariens facta est sterilis, et quondam sterilis peperit plurimos, quia Domini ista sententia est.

## (Vers. 10.)

Laetamini cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam, ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis, et deliciis affluatis, ab omnimoda gloria ejus.

LXX: Laetare, Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam. Gaudete gaudio omnes qui lugetis super eam, ut sugatis et impleamini ab ubere consolationis ejus, ut postquam suxeritis, delectemini ab introitu gloriae ejus. Apostolis praecipitur et apostolicis viris, qui diligunt utramque Jerusalem, et eam quae corruit plangentibus atque lugentibus, et illam quae surrectura est omni desiderio praestolantibus, ut gaudeant cum ea et in ea, quae aedificata sit vivis lapidibus, qui volvuntur super terram, et in rotarum Cherubim similitudinem,

sequuntur spiritum praecedentem: non in his qui in aeternos cineres dissoluti sunt. De quibus Dominus loquebatur: Amen, amen dico vobis, non permanebit lapis super lapidem, donec compleantur omnia haec (Matth. XXIV, 2). Gaudete, inquit, cum ea gaudio, universi qui lugetis eam. Quales supra Petrum et Paulum apostolos docuimus, et omnes qui exspectabant redemptionem Israel, ut sugant et repleantur uberibus consolationis ejus. Neque enim poterat fieri, ut quae genuit masculum, et erat puerpera, careret lactis abundantia in educationem ejus gentis et parvulorum, qui simul nati fuerant, ut praeberet eis duo ubera, nequaquam ut prius in Aegypto, fracta et jacentia, sed integra et virginali decore stantia, veteris ac novi Instrumenti, ad praebendum rationale lac. De quibus sponsus ad eam loquitur: Bona ubera tua super vinum (Cant. I, 1). Isti erant, de quibus specialiter dicebant: Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. V, 5). Et hoc notandum, quod qui parvuli sunt, consolationis indigent lacte, et adhuc in mortali versantur loco. Qui vero post lac consolationis ad solidum profecerint cibum, deliciis affluent veritatis, et scientia omnimodae gloriae, quae Hebraice dicitur ZIZ. Pro qua LXX introitum; Symmachus pinguedinem; Theodotio, multitudinem interpretati sunt. Hoc diximus, ut psalmi septuagesimi noni verbum panderemus ambiguum, in quo scriptum est: Vastavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (Psal. LXXIX, 14). Pro eo enim, ubi in nostris et Graecis codicibus legitur μόνιος ἄγριος id est: singularis ferus, in Hebraico scriptum est ZIZ SADAI: quod Aquila transtulit, --- hoc est, omnimodum regionis, ut significaret non solum a Romanis, sed a cunctis gentibus Israelem esse vastatum. Introitus autem gloriosus Ecclesiae ille intelligendus est, de quo scribit Joannes apostolus: Et in duodecim portis erant duodecim margaritae, et plateae civitatis auro mundo sicut vitrum perspicuum (Apoc. XXI, 21). Istas margaritas prohibet Dominus mitti ante porcos (Matth. VII), quas negotiator bonus cum in Prophetis invenerit et Apostolis,

pergit ad unum pretiosissimum margaritum, non priores abjiciens, sed per illas quaerens pretiosius (Matth. XIII).

## (Vers. 12.)

Quia haec dicit Dominus: Ecce ego declino super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ab ubere portabimini, et super genua blandientur vobis.

LXX: Quia haec dicit Dominus: Ecce ego declinabo ad eos quasi fluvius pacis, et quasi torrens inundans gloriam gentium. Parvuli eorum in humeris portabuntur, et super genua consolabuntur. Exstructa per Apostolos Jerusalem, et instaurata in priorem statum, postquam filii et habitatores ejus uberibus fuerint consolati, et lactis abundantia ad delicias pervenerint veritatis, per quas pervenitur ad gloriam Dei: tunc Dominus declinabit super eam fluvium pacis, de quo crebro diximus: Flumen Dei repletum est aquis (Psal. LXIV, 10). Et: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Psal. XLV, 5); ut pace omnia possidente, et nationum cessantibus bellis, de quibus Scriptura dicit: Dissipa gentes quae bella volunt (Psal. LXVII, 32), torrens doctrinarum Dei irriget arva credentium. Tunc filii ejus, sive parvuli (ut LXX transtulerunt) in humeris portabuntur, et super genua consolationem accipient. In humeris, de quibus et in priori prophetia dictum est, et quos Jacob imprecatur filio suo Issachar: Quia supposuit humerum suum ad laborandum (Gen. XLIX, 15), et vocatus est vir agricola. Sudore enim et labore nimio ad ubertatem fructuum pervenimus. Unde et ad Sion per Jeremiam dicitur: Da cor tuum in humeros tuos (Jerem. XXIV, 7), ut a mandatis intelligat Dominum, imitans eum, de quo scriptum est: Jesus coepit facere et docere (Act. I, 1), ut non otiosa sit fides, sed per opera currat ad praemium. Genua autem et sinus quid significent, et supra breviter exposui, et nunc Abraham exemplum docere nos poterit, in cujus sinu Lazarus

requiescit, et omnes de Oriente et Occidente venientes, qui accumbent cum Abraham, Isaac et Jacob.

## (Vers. 13, 14.)

Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra sicut herba germinabunt. Et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis.

LXX pro servis, posuerunt timentes; pro inimicis, incredulos: caetera similiter. Misericordiam Creatoris in creaturas suas, exemplo matrum discimus, quae liberos amore in sinu nutrientes, omnem superant charitatem. Denique volens Deus ostendere, quomodo diligat quos creavit: Numquid obliviscetur, ait, mulier, ut misereatur sobolis uteri sui? sed et si illa fuerit oblita, ego tamen non obliviscar tui (Isai. XLIX, 15). Quem sensum et illud habet Evangelicum, in quo Dominus loquitur ad Jerusalem: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti (Matth. XXIII, 37)? Et Deuteronomium, in quo tale quid resonat: Sicut aquila protegit nidum suum, et pullos suos desideravit: expandens alas, suscepit eos, et portavit in humeris suis (Deut. XXXII, 11). Aiunt qui de animantium scripsere naturis, omnium quidem bestiarum, et jumentorum, et pecudum aviumque ingenitum esse in filios pullosque suos affectum, sed maximum esse amorem aquilarum, quae in excelsis et inaccessis locis nidos collocant, ne coluber fetus violet. Amethisten quoque inter pullos ejus lapidem reperiri, quo omnia venena superentur. Si hoc verum est, recte affectus Dei in suas creaturas aquilis comparatus est, qui omni custodia protegit liberos suos, ne draco et coluber antiquus, diabolus et Satanas obrepat novellis fetibus, ut ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion, omnes adversariorum frangantur insidiae. Haec autem

Jerusalem, in qua consolabuntur a matre filii, et in genibus palpabuntur, illa est, de qua scribit Apostolus: Quae autem sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater omnium nostrum (Galat. IV, 26). Cujus consolationis lacte saturatus, consolabatur caeteros, qui ejus sermonibus indigebant, dicens: Benedictus Deus, Pater misericordiarum, et Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione, ut et nos possimus consolari eos, qui in omni sunt tribulatione, per consolationem, qua ipsi consolamur a Deo (I Cor. I, 3). Qui postquam fuerint consolati, dicetur ad eos: Et videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, sive orientur, aut juxta Symmachum, florebunt (Joan. XVI, 22). Videbunt autem, haud dubium quin Deum, quae vera laetitia est. De quibus Dominus loquebatur: Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. V, 8). Cujus visio perfectum est gaudium, quod in plenae fidei corde versatur: et ossium germinatio subsequitur, de quibus ante jam diximus. Quorum si lector oblitus est, recurrat ad explanationem pristinam. Melius est enim illum scripta relegere, quam nos dicta replicare. Et nota, inquit, erit manus Domini servis ejus, vel timentibus eum, et comminabitur inimicis, sive incredulis suis. Manus autem vel pro potentia accipitur, quod possit Deus omnia facere, quae promittit, juxta illud quod ex persona Dei S. Moyses loquitur ad Pharaonem: Nunc mittam manum, et percutiam te, et populum tuum interficiam, et deleberis de terra (Exod. III, 20). Et rursum ipse ad eumdem tyrannum: Ecce manus Domini erit super jumenta tua (Exod. IX, 4); de qua ad Deum Psalmista dicebat: Manus tua gentes interfecit, et plantasti eos (Psal. XLIII). Aut certe manus Domini Christus intelligendus est, de quo et supra legimus: Manus mea fecit haec omnia. Quam notam faciet Dominus servis suis et timentibus se, et comminabitur incredulis et inimicis suis, ut aliis promittat praemia, aliis supplicia comminetur. In quo consideranda verborum proprietas, quod non dixerit: Inferet inimicis suis; sed comminabitur,

ut per comminationem deterriti, et ipsi ad Domini transeant servitutem.

## (Vers. 15, 16.)

Quia ecce Dominus in igne veniet: et quasi turbo quadrigae ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem: et multiplicabuntur interfecti a Domino.

LXX: Ecce Dominus quasi ignis veniet, et quasi tempestas currus ejus, reddere in furore ultionem suam: et increpationem in flamma ignis. In igne enim Domini judicabitur omnis terra: et in gladio illius cadet universa caro: multi vulnerati erunt a Domino. Manus Domini, quae nota fiet servis ejus, et timentibus eum, ipsa comminatur incredulis, sive inimicis ejus, ut si non egerint poenitentiam, sustineant quae sequuntur: Ecce enim, inquit, Dominus in igne veniet, et quasi turbo sive tempestas currus ejus. Quas debemus intelligere Angelicas potestates, quando venturus est Dominus in gloria Patris cum Angelis suis, judicare vivos et mortuos: non quo Dominus ignis sit, sed quo sustinentibus poenas, esse ignis videatur. Et licet S. Moyses dixerit (Deut. IV, 24), idipsum Apostolo confirmante (Hebr. XII, 29): Deus ignis consumens est. Attamen Salvator, exprimens divinitatis substantiam, ait: Spiritus est Deus (Joan. IV, 24). Inter spiritum autem et ignem, secundum intelligentiam corporalem, multa diversitas est. Quod si ignis, aut spiritus est, quomodo oculos, et aures, et manus, et pedes, et ventrem, et caetera corporis membra habere dicitur, cum haec spiritus ignisque non habeant? Ignis ergo consumens appellatur Deus, ut quidquid in nobis vitiorum est, fenum, ligna, stipulamque consumat, et spinas, id est, sollicitudines saeculi hujus, quas pro bono semine terra attulit infecunda, de qua ad Hebraeos dicitur: Quae autem affert spinas et tribulos, reproba est,

et maledicto proxima: cujus finis consumptio est (Hebr. VI, 1). De hoc igne et in Evangelio Dominus loquebatur: Ignem veni mittere super terram (Luc. XII, 49). Et supra legimus: Ardebit sicut ignis iniquitas, et sicut gramen aridum consumetur igni (Isai. IX, 18), et omnia zizania, quae inimicus homo superseminavit, dormiente patrefamilias (Matth. XIII). De quo et in Epistola Jacobi scribitur: Parvus ignis quam grandem succendit materiam (Jac. III, 5)! Et in Proverbiis: In multis lignis viget ignis (Prov. XXVI, 20). Quamquam in eo quod Proverbium est, aliud possit intelligi (Eccli. XXVIII). Hunc puto ignem sedisse super linguas Apostolorum omniumque credentium, quando linguis variis loquebantur, et omnes erroris fugabat tenebras, et illuminabat corda eorum, qui recipiebant sermonem Domini (Act. II). Quod autem sequitur: Quasi tempestas currus, sive quadrigae ejus, Psalmorum edisseremus exemplis, in quibus scriptum est: Deus manifeste veniet, Deus noster, et non tacebit. Ignis ante eum ardebit: et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. XLIX, 3, 4). Et alibi: Currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium (Psal. LXVII, 18). His curribus et equis Elisaeus erat circumdatus, quos puer ejus videre non poterat. Unde ait: Domine, aperi oculos pueri hujus ut videat. Et apertis, inquit, oculis, vidit currus, et quadrigas, et equos per circuitum (IV Reg. VI, 17). Hoc curru igneo et Elias raptus ad coelum est, quando clamabat Elisaeus: Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus (IV Reg. II, 12). Haec autem universa narrantur, non quo Deus aut currus habeat, aut quadrigas, aut equorum velocitate portetur; de quo alibi scriptum est: Qui ambulat super pennas ventorum (Psal. CIII, 3); sed quomodo in solio sedere dicitur, quando assumit habitum judicantis; sic quando ad vindictam venit, ut debellet adversarios suos, in habitu victoris et triumphantis ostenditur. De furore Domini crebro diximus, quod sic accipi debeat quomodo oblivio ejus, et poenitentia, et contristatio, et affectus caeteri, qui Dei non conveniunt majestati. Et in hoc igitur igne et furore, in his curribus et in flamma ignis

judicabitur omnis caro, sive ipse Dominus cum creaturis suis, ut non potentia, sed judicii veritate videatur ferre sententiam juxta illud quod in Michaea prolixius, et in quinquagesimo psalmo brevius dicitur: Ut justificeris in sermonibus tuis: et vincas cum fueris judicatus (Psal. L, 5). Gladius autem quo omnis caro est judicanda, ille accipiendus est, de quo et prius diximus, et nunc dicemus ex parte: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit (Psal. VII, 13). Hunc gladium punitorem carnis peccatricis omniumque vitiorum, Israelitae in manus Pharaonis datum queruntur; dicuntque Moysi et Aaron: Videat Deus vos et judicet: quia abominabilem fecistis odorem nostrum coram Pharaone: ut daretur gladius in manu ejus, et interficeret nos (Exod. IV, 21). De hoc gladio et in Amos scriptum est: Gladio interibunt omnes peccatores populi (Amos IX, 10): cum utique et alia sint genera poenarum. Quidquid ergo pungit, et percutit, et torquet, et cruciat, in Scripturis sanctis gladius appellatur, quo gladio vulnerabuntur sive interficientur, qui Dei non fecerint voluntatem; et omisso lumine veritatis, tenebris se erroris involverint. De quibus scriptum est in Jeremia: Si mutabit Aethiops pellem suam (Jerem. XIII, 23). Et in Sophonia: Et vos Aethiopes vulnerati, sive interfecti gladio meo eritis (Soph. II, 12). Omnem loci istius continentiam, quo sensu accipienda sit, Apostolus prolixius edisserit, scribens ad Romanos: Juxta duritiam autem tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. His quidem qui juxta patientiam operis boni, gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus vitam aeternam. Qui autem ex contentione et increduli sunt veritati, acquiescunt autem iniquitati, ira et furor, tribulatio et angustia super omnes homines qui operantur malum, Judaei primum et ethnici (Rom. II, 5 seqq.).

## (Vers. 17.)

Qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post unam intrinsecus: qui comedebant carnem suillam, et abominationem et murem, simul consumentur, dicit Dominus.

LXX: Qui sanctificantur et purificantur in hortis et liminibus: comedentes carnem porcinam, et abominationes, et murem: simul consumentur, dicit Dominus. Symmachus et Theodotio hunc locum ita interpretati sunt. Qui sanctificamini et lustramini in hortis alter post alterum, inter eos qui comedunt carnem suillam, et abominationem, et murem, simul deficient, dicit Dominus, volentes ostendere, non ipsos comedere carnem suillam, et abominationem, et murem, qui sanctificantur in hortis alter post alterum; sed eos qui lustrantur versari cum eis, qui comedunt quae prohibita sunt. Arguit autem sermo divinus populos Judaeorum, immo Scribas et Pharisaeos, quos et Dominus arguebat, dicens: Vos estis qui justificatis vosmetipsos coram hominibus: Deus autem scit corda vestra, quoniam quod in hominibus excelsum est, abominatio est apud Deum (Luc. XVI, 15). Unde increpabat eos atque dicebat: Vae, vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, qui mundatis quod foris est calicis et paropsidis, et intus pleni estis immunditia (Matth. XXIII, 25). Et iterum: Qui estis sepulcra dealbata: intus autem pleni estis ossibus mortuorum, et omni spurcitia (Ibid., 27): qui ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant (Ps. LXI): qui Domino loquebantur pacifica, et molliebant verba sua super oleum, ipsi autem erant jacula, de quibus rectissime dicebatur: Populus hic labiis me honorat: cor vero ejus longe est a me (Isai. XXIX, 13). Praeceperat autem per S. Moysen Deus (Num. XIX), ut si quis praeventus fuisset in peccato; vaccae rufae aspersus cinere, et aliis expiationis modis, per sacrificia et victimas rediret ad Templum, quod illi negligentes, in locis deliciarum et voluptatum, hoc est, in hortis amoenissimis, vel baptisteria exstruebant, vel piscinas ad areolas

irrigandas: adulteria et omnem libidinum turpitudinem, simplicibus aquis abluere se putantes, quibus rectissime illud aptabitur: Et noctem flumine purgant (Horat.). Nec alicui videatur incongruum, si quae geruntur turpiter, manifestius explicentur in correctionem eorum, qui talia committere non erubescunt, quae turpe est et dicere, dum scortis adhaerent in modum canum, et masculi in masculos exercent turpitudinem, retributionem peccati in semetipsos recipientes. Qui haec opera faciunt, voluntate et sceleribus cum his sunt, qui carnem suillam comedunt, et omnia quae Lege prohibentur, et murem, quem nos glirem vocamus, vel juxta Orientis provincias μυωξοὺς. Et illi igitur qui haec comedunt, et hi exercentes omnem turpitudinem, talia agunt quae et ethnici forte non faciunt, pariter consumentur (Levit. XI). Secundum tropologiam possumus dicere: Omnes voluptatis magis amatores, quam amatores Dei, sanctificari in hortis et in liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire, et comedere cibos impietatis, dum non sunt sancti corpore et spiritu: nec comedunt carnem Jesu, neque bibunt sanguinem ejus. De quo ipse loquitur: Qui comedit carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam (Joan. VI, 55). Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (I Cor. V). Qui non foris, sed in domo una et intus comeditur.

## (Vers. 18, 19.)

Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis: et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, in Lydiam tendentes sagittam, in Italiam et Graeciam, ad insulas longe: ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam.

LXX: Et ego opera eorum, et cogitationes eorum novi, et venio congregare omnes gentes et omnes linguas: et

venient et videbunt gloriam meam, et dimittam super eos signum: et emittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes, in Tharsis et Phud, et Lud et Mosoch et Thobel, et in Graeciam, et in insulas longe, qui non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam. Priusquam exponam quid significet enumeratio gentium plurimarum, breviter de interpretationis varietate dicendum est. Tharsis lingua Hebraea, mare appellatur; et (ut aiunt) Indiae regio: licet Josephus, littera commutata, Tarsum putet nuncupari pro Tharsis, urbem Ciliciae, ad quam Jonas de Joppe fugiens, ire cupiebat (Jonae I). Phud autem, sive Phul, Libyes, omnisque Africa usque ad mare Mauritaniae, in qua fluvius hodie qui Phud dicitur, et cuncta circa eum regio Phutensis appellatur. Lud autem Lydos vocant, quorum coloni Hetrusci, qui nunc Thusci appellantur, quondam mittendarum sagittarum peritissimi, et nunc dicuntur tendentes sagittam. Pro quo in Hebraico legitur MOSCHE CESETH quod absque Septuaginta, omnes similiter transtulerunt, tendentes arcum: Et Septuaginta posuerunt --- nomen pro verbo interpretantes. Quod si accipiatur, Cappadocas significat: quorum metropolis Mazaca, quae postea a Caesare Augusto, Caesarea nomen accepit. Qui nescio quid volentes, etiam in Genesi (Cap. X) ultimum filium Aram, id est, Syrorum Damasci, qui appellatur Mes, interpretati sunt --- pro quo nos rectius Moeonas transferimus. Thubal autem sive Thobel, aut Italia interpretatur, aut Iberia, hoc est, Hispania, ab Ibero flumine, unde et hodie Hispaniarum regio appellatur Celtiberia. De quibus pulchre Lucanus (Lucan, lib. IV):

*Gallorum Celtae miscentes nomen Iberis:*
*quos nos possumus Gallohispanos dicere.*

Graeci autem, qui sermone Hebraico appellantur Javan, Jonas significant: unde et Graeci Jones, et mare Jonium. Et hoc considerandum, quod maxime Orientales de Japhet posuerit nationes, uno filiorum Noe: licet in

Tharsis et Phud, Sem quoque et Cham id est, Indiae et Africae nominum fuerit recordatus, ut totum orbem ostenderet. Venit ergo Dominus, ut opera et cogitationes congreget singulorum. Ex quo discimus non solum opera, sed et cogitationes esse in die judicii judicandas. Qui enim viderit mulierem ad concupiscendum, jam moechatus est eam in corde suo (Matth. V). De quibus dicitur: Nunc circumdederunt eos cogitationes suae: quando judicabit Dominus abscondita hominum secundum Evangelium Jesu Christi; ut illud quod Apostolus scribit, veritate judicii comprobetur, invicem cogitationibus accusantibus et satisfacientibus, in die qua judicabit Deus abscondita hominum (Rom. II, 15): ut cogitationes nostrae omnes uno tempore congregatae justo judice probentur, dum aut accusat nos nostra conscientia, aut satisfacit pro delicto, utrum plura sint peccata, an bona opera: et utrum vetera, an nova: utrum deleta poenitentia, an novis sceleribus instaurata, quando dicit Dominus: Vias eorum dedi in capita eorum: et cogitationes eorum reddam eis (Osee IV, 9). Qui finxit sigillatim corda eorum, et intelligit omnia opera eorum (Ps. XXXII, 15.) De quibus et in alio loco legimus: Tu cognoscis corda hominum solus (II Par. VI, 30). Nemo enim scit quae sint in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo (I Cor. II). Unde et per Jeremiam loquitur Deus: Ego Deus appropinquans, et non de longe, dicit Dominus: Numquid abscondet se in absconditis homo, et ego ignorabo (Jer. XXIII, 23)? Denique ad Scribas dicitur et ad Pharisaeos: Vos estis qui justificatis vosmetipsos coram hominibus: Deus autem cognoscit corda vestra (Luc. XVI, 15). In quo considerandum, quod non dixerit, Pater, juxta haereticorum blasphemias, ne Filium videretur excludere, sed Deus: quod Patri Filioque commune est. In principio enim erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum (Joan. I, 1, 2). De quo idem Joannes scribit: Ipse autem Jesus non credebat se eis, quia sciebat omnes, et non habebat necesse, ut aliquis testimonium daret ei de homine: ipse enim noverat quid

esset in homine (Joan. II, 24, 25). Cui et illud congruit: Sciens autem Jesus cogitationes eorum (Luc. VI, 8). Et in alio loco: Sciens autem Jesus malitiam eorum (Matth. XXII, 18). Ac ne aliqua sit dubitatio, haereticis calumniam facientibus de Verbo Dei, quod noverit omnia, in Epistola quae ad Hebraeos scribitur, prolixius dicitur: Vivens est enim sermo Dei, et evidens et acutus super omnem gladium bicipitem, et dividens usque ad partitionem animae et spiritus, artuum quoque et medullarum, et judex cogitationum et sensuum cordis. Nullaque est creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis illius, de quo nobis sermo est (Hebr. IV, 12). Postquam autem omnes cogitationes in unum fuerint congregatae, accusantes nos vel defendentes: tunc omnes gentes et linguae cum cogitationibus suis pariter adducentur in medium. Linguas autem juxta apostolum Paulum, non solum hominum legimus, sed et Angelorum (I Cor. XIII). Ex quo intelligi datur, omnes creaturas a Domino judicandas, non solum super terram, sed in aere et in coelestibus, juxta quod ipse in superioribus dixerat: Inebriatus est gladius meus in coelo, ad terramque descendet (Isai. XXXIV, 5). Venient autem omnes, ut videant gloriam Dei: et ponet in eis signum, quod in Ezechielis principio sub THAU litterae Hebraicae interpretatione monstratur (Ezech. IX). Quo signo qui fuerit impressus, manus percutientis effugiet. Hoc et postes domorum in Aegypto signabantur, quando pereunte Aegypto, solus Israel mansit illaesus (Exod. XII). De hoc signo quod Achaz rex Juda nolebat accipere, Isaias propheta testatur: Propterea dabit Dominus vobis signum: Ecce virgo in utero concipiet et pariet (Isai. VII, 14). Unde et Propheta quod promissum fuerat, deprecatur: Fac mecum signum in bonum (Psal. LXXXV, 17). Et in alio loco: Dedisti metuentibus te significationem, ut fugerent a facie arcus (Psal. LIX, 4). Hoc nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut libere diceremus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Psal. IV, 7). Quod autem

sequitur: Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes: et singulas enumerat, videtur expositioni nostrae esse contrarium. Si enim de die judicii dicitur: quomodo rursum ad primum recurrit Salvatoris adventum, quando Apostoli diriguntur ad gentes, et audiunt a Domino: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. XXVIII, 19.) Quod ita solvitur: Judicii praedicatur dies, immo comminatur, ut metu futurae poenae, recipiant Salvatoris adventum et Apostolorum Evangelium, qui ante mittendi sunt. Pulchre autem dixit: Et mittam ex eis qui salvati fuerint (Isai. LXVI, 18). Nisi enim Dominus nobis reliquisset semen, quasi Sodoma essemus, et similes Gomorrhae fuissemus. Et Apostolus: Reliquiae, inquit, salvae factae sunt (Rom. IX, 27). Isti mittuntur ad gentes in Tharsis, et Phud, et Lud, et Mosoch, et Thobel, et Graeciam, et insulas plurimas quae longe sunt, et quae non audierunt nomen Domini, neque viderunt gloriam ejus. De quibus juxta historiam supra diximus (Ad cap. XII). Nunc stringenda est anagoge. Tharsis interpretatur, exploratio gaudii: ut consideremus non ea quae in praesenti sunt, sed quae in futuro; et audire mereamur: Quia in paucis fuistis fideles, ingrediemini in gaudium Domini vestri (Matth. XXV, 21). De quo et Petrus apostolus scribit: Exultate gaudio ineffabili et glorioso (I Petr. I, 8); ut laudemus Deum dicentes: Impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione (Psal. CXXV, 2). Quodque sequitur, Phud interpretatur, oris exclusio: ut omnem excludentes blasphemiam, ea loquamur quae bona sunt, atque dicamus: Os meum annuntiabit justitiam tuam, Domine: tota die salutare tuum (Psal. LXX, 15). Et rursum: Non abscondi in corde meo veritatem tuam, et salutare tuum dixi (Psal. XXXIX, 11). Lud quoque in lingua nostra, utilitas vertitur, et Mosoch, extensio, et Thubal, sive Thobel, ductus ad luctum, vel conversus, aut universa: quae omnia vocationi gentium congruunt, ut utilitatem sequantur per confessionem animae suae, et praeteritorum obliti, ad futura extendantur. Lugeantque antiqua peccata, et

trahantur ad luctum atque tristitiam, quae ducit ad vitam. Beati quippe lugentes, quoniam ipsi ridebunt (Matth. V). Et convertantur omnes ad Dominum, ut postea transeant ad gratiam, et sciant dictum ab Apostolo: Gloria, et honor, ex pax omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco (Rom. II, 10): quoniam non solum Judaeorum Deus, sed et gentium. Porro illud quod dicitur: Et insulis procul, quae non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam, illis convenit, de quibus supra legimus: Quibus non est nuntiatum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent (Isai. LV, 5). Et iterum: Apparui his qui me non interrogabant: inventus sum ab his qui me non quaerebant (Isai. LXV, 1). Dixi: Ecce adsum, his qui non invocabant nomen meum. Insulas autem significari, vel totius orbis gentes, vel Ecclesias in toto orbe dispersas crebro diximus.

## (Vers. 20.)

Et annuntiabunt gloriam meam in gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus.

LXX: Et annuntiabunt gloriam meam in gentibus: et adducent fratres vestros de cunctis nationibus donum Domino, cum equis et rhedis, in lampenis mulorum, cum umbraculis in sanctam civitatem Jerusalem, dicit Dominus. Hi qui salvi fuerint, et missi ad varias nationes, et ad eos qui non audierant primum, neque viderant gloriam Domini, annuntiabunt eam cunctis gentibus, et adducent fratres populi Judaici, quorum reliquiae salvae factae sunt, munus Domino de universis gentibus: vel ipsos qui idololatriae errore contempto, veri Dei notitiam sunt secuti, vel qui de toto orbe ex Israel populo crediderunt. Ad quos scribit et apostolus Petrus (I Petr. I). Adducent autem in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et

in mulis, et in carrucis. Pro carrucis, quas solus interpretatus est Symmachus, quem nos in hoc loco secuti sumus, Aquila, Septuaginta et Theodotio, mulos, transtulerunt. Et ubi posuere Septuaginta, cum umbraculis, quae nos dormitoria interpretari possumus, vel basternas, alii voce consona transtulerunt --- quae nos varii generis interpretamur vehicula: ubi autem Septuaginta et Theodotio dixerunt, lampenas, pro quibus Symmachus, lecticas interpretatus est, Aquila, --- posuit, quod et ipsum lecticas opertas pellibus significat. Hoc de varietate translationum dictum sit. Equos autem, et quadrigas, et lecticas, et mulos atque carrucas, et diversi generis vehicula, Angelica possumus intelligere ministeria, de quibus alibi ad Deum dicitur: Ascende super equos tuos, et equitatio tua salus (Abac. III, 8). His equis, curribus et quadrigis Elias raptus ad coelum est, et Eliseus circumdari se atque servari, nescienti puero demonstravit (IV Reg. II). Et Zacharias vidit in nocte: Ecce vir ascendens super equum rufum: et iste stabat in medio duorum montium umbrosorum: et post eum equi rufi, et sturnini, et varii, et albi, et dixi, inquit, Quid sunt isti, Domine? Et ait ad me Angelus qui loquebabatur in me: Ego ostendam tibi quid sint isti. Et respondit vir qui stabat in medio montium, et ait ad me: Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram (Zach. I, 8-10). Joannes quoque in Apocalypsi haec se vidisse testatur: Vidi coelum apertum, et ecce equus albus: et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verus, et justitia judicans, et bellator. Oculi autem ejus quasi flamma ignis: et super caput ejus diademata plurima: habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse; et amictus erat veste aspersa sanguine: et vocabatur nomen ejus Verbum Dei: et exercitus in coelo sequebatur eum in equis albis, vestitus bysso albo atque mundissimo, et de ore ejus egrediebatur gladius acutus, ut in ipso percuteret gentes (Apoc. XIX, 11 seqq.). Equo rufo sedebat Dominus atque Salvator, humanum corpus assumens, cui dicitur: Quare rubra sunt vestimenta tua? Et: Quis est iste qui ascendit

de Edom, fulva vestimenta ejus de Bosra (Isai. LXIII, 2). Et sequebantur eum variorum colorum equi, vel in martyrio rubri, vel sturnini in volatu, vel varii in virtutibus, vel candidi in virginitate. Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem immortale et incorruptum corpus assumpsit. Et quicumque eum sequebantur, candidis utebantur equis, incorruptis videlicet immortalibusque corporibus. Longum est, si velimus, utrumque explanare testimonium: hoc solum dicam, quod diversa vehicula, quibus homines adducuntur ad fidem, Angeli sint, vel sancti viri. Quod autem unusquisque nostrum habeat Angelos, multae Scripturae docent, e quibus illud est: Nolite contemnere unum de minimis istis: quia Angeli eorum vident quotidie faciem Patris, qui est in coelis (Matth. XVIII, 10). Et puella Rode Petrum apostolum nuntiante, alii Angelum ipsius esse credebant (Act. XII). Sin autem hoc de minimis dicitur, et de uno homine, quanto magis de omnibus sanctis, et praecipue de Apostolis sentiendum est? quorum Angeli quotidie vident faciem Patris, juxta illud quod scriptum est? Circumdat Angelus Domini in circuitu timentium eum (Psal. XXXIII, 8). Et Jacob de se loquitur: Angelus qui liberavit me. Isti sunt qui ascendunt et descendunt super filium hominis. Qui veloces sunt in fide, equis vehuntur: qui multiplices in gratia, quadrigis: qui consolatione indigent, tectis lecticis et umbraculis, ut audire mereantur: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (Psal. CXX, 6). Mulos autem in Scripturis sanctis dupliciter accipimus: vel in sterilitate et continentia, qualibus sedit S. David et Salomon, quorum alter interpretatur, fortis manu: alter, pacificus; vel in mala parte, de quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal. XXXI, 9); quibus praepositus erat Doec (I Reg. XXI). Carrucae autem, pro quibus (ut supra diximus) Septuaginta, tecta vehicula, caeteri vehicula simpliciter transtulerunt, illi intelligendi, de quibus Apostolus loquitur: Invicem onera vestra portate (Galat. VI, 2). Porro lampenae, splendentia sanctorum intelligenda sunt corpora, et animae fide

Domini illuminatae, quibus dici potest: Vos estis lux mundi (Matth. V, 14). Hic autem omnis apparatus illo proficit, ut ingrediamur sanctam civitatem Dei, sive sanctum montem Domini Jerusalem: non illam quae occidit Prophetas, et quae lapidat missos ad se; sed Jerusalem coelestem, de qua crebro diximus: Quae autem sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra (Galat. IV, 26). Et iterum: Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem (Hebr. XII, 22). Quod vel de praesenti Ecclesia possumus intelligere, quae toto orbe per Apostolos congregata est, vel de futura: ut impleatur illud quod Apostolus sancto Spiritu prophetavit: Rapiemur in nubibus obviam Domino in aere, et sic semper cum Domino erimus (I Thess. IV, 16). Judaei et Judaici erroris haeredes Ebionitae, qui pro humilitate sensus nomen pauperum susceperunt, omnesque mille annorum delicias praestolantes, equos et quadrigas, et rhedas, et lecticas, sive basternas, et dormitoria, mulosque et mulas, et carrucas, et diversi generis vehicula sic intelligunt, ut scripta sunt. Quod videlicet in consummatione mundi, quando Christus Jerusalem regnaturus advenerit, et Templum fuerit instauratum, et immolatae Judaicae victimae, de toto orbe reducantur filii Israel, nequaquam super equos, sed super mulos Numidiae. Qui autem senatoriae fuerint dignitatis, et locum principum obtinuerint, de Britannis, Hispanis, Gallisque extremis hominum Morinis (Virgil. VIII Aeneid. sic vocat Morinos), et ubi bicornis finditur Rhenus, in carrucis veniant, occurrentibus sibi cunctis gentibus, quae eorum servituti fuerint praeparatae.

## (Vers. 21.)

Quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus.

LXX: Quomodo si offerant filii Israel victimas suas mihi cum Psalmis in domo Domini: et ex eis sumam sacerdotes et Levitas, dicit Dominus. Qui ad gentes, ait, directi fuerint, et annuntiaverint eis gloriam meam, sic adducent fratres vestros de universis nationibus munus Domino, cum equis, et quadrigis, et lecticis, et mulis, et carrucis, et diversis vehiculis in montem sanctum Jerusalem, quomodo solebant filii Israel, dum eorum staret religio, et Templi caeremoniae servarentur, offerre victimas cum Psalmis in domo Domini. Sive ut habetur in Hebraeo, et omnes voce consona transtulerunt, in vase mundo: quod et usque hodie offerunt in Domo Dei, quae est Ecclesia, filii Israel qui mente conspiciunt Deum, hostias spirituales cum fructibus atque virtutibus animae suae in vasis mundis, hoc est, in sanctis corporibus. De quibus Apostolus scribit: An ignoratis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis (I Cor. III, 16)? Et assumam, inquit, ex eis sacerdotes et Levitas, dicit Dominus: ut qui salvati fuerint, gentibus praedicarent. De quibus unus loquebatur: Sic nos reputet homo quasi ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (I Cor. IV, 1). Et Lucas evangelista: Sicut tradiderunt, inquit, nobis, qui a principio viderunt et ministri fuerunt sermonis. De quibus et supra legimus: Vos eritis mihi sacerdotes Domini (Isai. LXI, 6). Quomodo enim in abscondito Judaeus est, qui spiritu circumciditur (Rom. II), de quo scriptum est: Nos sumus Circumcisio, qui spiritu Deo servimus (Philipp. III, 3), et offerimus spirituales victimas placentes Deo, psallimusque spiritu et sensu: sic et sacerdotes et Levitae in abscondito sunt, qui non seriem generis sequuntur, sed ordinem fidei. Vel certe non dicit de Apostolis et apostolicis viris, qui principes fuerunt Ecclesiae ex populo Judaeorum, sed de enumeratis supra gentibus, de mari, de Africa, de Libya, de Cappadocia, de Italia, de Graecia, de cunctis insulis, quarum habitatores primum non audierant Dominum, nec viderant gloriam ejus, et postea vertentur in sacerdotes,

ut qui fuerant cauda, sint caput, et qui caput, vertantur in caudam.

## (Vers. 22, 23.)

Quia sicut coeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.

LXX: Sicut enim coelum novum et terra nova, quae ego facio permanere in conspectu meo, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro ut adoret in conspectu meo in Jerusalem Dominum. Quando dicit: Assumam ex eis in sacerdotes et levitas, ostendit vetus sacerdotium praetermissum, quod tribui Leviticae debebatur, ubi non est electio, sed ordo naturae, et series est familiae per posteros descendens. Translato enim sacerdotio necesse est, ut et Legis translatio fiat, et electio ad eos pertineat, quibus nequaquam juxta sanguinem, sed juxta merita atque virtutes sacerdotium defertur, qui venient de insulis gentium, et gloriam Domini nuntiabunt. Et adducentur in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis. Quomodo autem coelum novum, et terra nova erit, et nova Jerusalem, ut nequaquam dicatur: Coelum et terra pertransibunt (Matth. XXIV, 35). Et iterum: Involvetur coelum quasi liber: et corruptione dissipabitur terra (Apoc. VI, 14): sic in omnibus novis, novus fiet et populus Dei, dicente Scriptura: Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova (Isai. XLIII, 19). Et in alio loco: Si qua in Christo nova creatura (II Cor. V, 17). Eritque et populus novus; primitiae enim Christus, deinde qui sunt Christi, in adventu ejus: coelumque et terra nova, de quibus inter octo beatitudines dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati mites, quoniam ipsi

possidebunt terram (Matth. V, 3, 4). Siquidem omnis creatura nunc subjecta est vanitati in spe, propter eum qui subjecit eam (Rom. VIII). Liberabuntur autem a servitute corruptionis in gloria filiorum Dei, qui fient de hominibus filii ejus, et stabunt in conspectu illius semper, et nomen eorum jugiter permanebit, ut nequaquam illis gens succedat alia, quod factum est in Judaeis; sed maneant in aeternum. Et erit, inquit, mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: ut de carnalibus sabbatis, mensibusque fiant spiritualia sabbata delicata, qui sabbatismus Dei populo reservatur. Et [Col.0674C] mensis spiritualis, quando a puncto usque ad punctum luna complebitur, et suo curret ordine, ut efficiat mensem, id est, kalendas, quae Graece appellantur --- hoc est, mensis novi exordium. apud quos initium kalendarum, non juxta solis cursum, et diversa mensium spatia, sed juxta lunae circuitum incipit et finitur. Haec est luna, de qua in laude veri Salomonis dicitur: Et permanebit cum sole et ante lunam in generationes generationum (Psal. LXXI, 5). Quae in Cantico Canticorum appellatur electa: Quae est haec quae processit quasi diluculum, pulchra ut luna, et electa ut sol admirabilis (Cant. VI, 9)? Aiunt Physici, et quorum curae est de coelestibus disputare, lunam non habere proprium lumen, sed solis radiis illustrari. Ab ea enim semper orbis parte completur et fulget, a qua soli vicinior est, nec umbra terrae obscuratur: quod et poeta uno versiculo demonstravit (Virgil. I Georg.):

*Nec fratris radiis obnoxia surgere luna.*

Si hoc verum est, et nos tropologice possumus dicere, Ecclesiam quae pace et persecutionibus crescit atque decrescit, et oppressa tentationum tenebris rursum pristinum lumen assumit, habere splendorem a sole justitiae, et hoc esse quod dicitur: Splendebit luna quasi sol (Isai. XXX, 26); habitatoresque ejus justos fulgere quasi solem in regno patris sui. Et per hos menses semen Domini, quod instauratum est in aeternum, venire ad

solemnitates suas, quas sanctus mystico ore resonabat, dicens: Annos aeternos in mente habui, et meditatus sum (Psal. LXXVI, 6). De sabbato autem, quod significat requiem, pleno sermone tractavimus (Ad cap. LVI), in eunuchorum advenarum prophetia. Et nunc breviter est dicendum, eos venire in neomeniis et in sabbatis, qui sex diebus in quibus factus est mundus, transcensis atque praeteritis, festinant ad septimum diem, id est, sabbatum, in quo vera est requies. De his solemnitatibus credentes Paulus apostolus instruebat, dicens: Umbram enim habens lex futurorum bonorum (Hebr. X, 1). Et iterum: Ne quis ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum, quae sunt umbrae futurorum (Coloss. II, 16). Si autem haec in umbra futurorum bonorum, et in imagine praecesserunt, omnis lex spiritualiter intelligenda est, de qua idem dicebat Apostolus: Scimus quia lex spiritualis est (Rom. VII, 14), cujus mysteria et S. David nosse cupiebat: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (Psal. CXVIII, 18). Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna (II Cor. IV). De quibus omnia celeri disputatione percurrere, non est hujus temporis. Si enim nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se (I Cor. II), quomodo nos totius Legis quasi universi orbis descriptionem in brevi tabella conamur ostendere? Quodque sequitur: Veniet omnis caro, ut adoret in conspectu meo in Jerusalem, sciendum quod in Hebraico non sit scriptum, Jerusalem: ut decutiamus supercilium Judaeorum; sed tantum, in conspectu meo, ut sermo Domini compleatur, dicentis in Evangelio: Amen amen dico vobis: quoniam veniet hora, quando neque in monte isto, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem (Joan. IV, 21). Et iterum: Spiritus est Deus. Et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (Ibid., 24). Et illud Apostoli: Levantes sanctas manus in omni loco (I Tim. II, 8). Omnis autem caro non populum Judaeorum, sed omne hominum significat genus, juxta illud quod supra dictum

est: Videbit omnis caro salutare tuum (Isai. XL, 5). Et in Joele: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae (Joel. II, 28). Et in Zacharia: Timeat omnis caro a facie Domini (Zach. II, 13). Et in Psalmis: Ad te omnis caro veniet (Psal. LXIV, 2). Quod aliis verbis in alio psalmo dicitur: Omnes gentes quas fecisti, venient et adorabunt in conspectu tuo, et glorificabunt nomen tuum, Domine (Psal. LXXXV, 9). Mensem ex mense, et sabbatum ex sabbato, in quibus veniet omnis caro, ut adoret Deum, ridicule interpretantur --- quos nos dicere possumus Milliarios: ut qui in vicino sunt, omni sabbato veniant in Jerusalem; qui longius, per menses, id est, kalendarum orbe completo, qui valde procul, per annos singulos, hoc est, diebus Paschae sive Tabernaculorum, juxta illud quod in Zacharia dicitur: Ascendens ab anno in annum, ut adorent Dominum regem exercituum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum (Zach. XIV, 16). Et ut majorem risum praebeant audientibus, quod in ultimo ejusdem prophetae volumine scribitur: Et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo, sic interpretantur, ut negotiatores in mille annis esse desistant, quia omnia nascantur in omnibus locis, quo scilicet nec nos indigeamus folio amomo, et pipere, nec Indi a nobis pulegium desiderent.

## (Vers. 24.)

Et egredientur, et videbunt cadavera virorum qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

LXX similiter. Omnis caro quae adoratura est in conspectu Domini, vel in Jerusalem coelesti, vel in omni loco in quo levantur mundae manus, egredietur, ut videat cadavera hominum mortuorum, qui praevaricati fuerint in Deum. Quod vel de Judaeis intelligi potest, de quibus dictum est: Filios genui et exaltavi: ipsi autem me

spreverunt: vel de omnibus qui habentes notitiam Dei in cordibus suis, aversi sunt in vanitatem, ut adorent creaturam potius quam Creatorem. Egredientur autem non loco, sed intelligentia. Neque enim cadavera mortuorum possunt intus esse cum Domino. Quod si omnis caro adoratura est Dominum, et e contrario cadavera virorum, qui praevaricati sunt in Dominum, aeternis tradentur ardoribus, in utramque partem verae carnis erit resurrectio. Vermis autem qui non morietur, et ignis qui non exstinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quae torqueat in suppliciis constitutos: quare vitio suo atque peccato caruerint electorum bono, juxta illud quod dicitur: Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina (Psal. XXXI, 4). Et in Proverbiis: Tinea ossium cor intelligens (Prov. XXV, 20). Et iterum sub obelo: Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: sic moeror excruciat cor viri (Ibid.). Ita dumtaxat, ut non negent praevaricatorum, et Dominum negantium aeterna supplicia, dicente Domino in Evangelio: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41). Et in alio loco: Ligate manus ejus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium (Matth. XXII, 13). Si manus ligamus et pedes, et tenebras exteriores, quae oculorum poena est lumen Dei non videntium; et fletum, qui utique et ipse ad oculos pertinet; et stridorem dentium: miror quosdam aereum corpus, et paulatim in auras tenues dissolvendum post resurrectionem introducere: quia Dominus potentia majestatis suae, ad Apostolos clausis ingressus est januis (Joan. XX). Qui certe et ante resurrectionem pendulo super mare ambulavit incessu; et hoc ipsum apostolo praebuit Petro: ut qui fide ambulabat, infidelitate postea mergeretur; cui dictum est: Quare dubitasti, modicae fidei (Matth. XIV, 31)? Ignis quoque juxta id accipiendus, quod et vermis, qui tamdiu succenditur, quamdiu habet materiam, qua vorax flamma pascatur. Si quis igitur habeat in conscientia sua zizania, quae inimicus homo, dormiente patrefamilias, superseminavit, et haec ignis

exuret, haec vorabit incendium (Matth. XIII). Et omnium Sanctorum oculis, eorum supplicia monstrabuntur, qui pro auro, et argento, et lapide pretioso, aedificaverunt super fundamentum Domini, fenum, ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni. Porro qui volunt supplicia aliquando finiri, et licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis: Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet (Rom. XI, 25). Et iterum: Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur (Galat. III, 22). Et in alio loco sanctus loquitur: Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei; donec justificet causam meam, et auferat judicium meum, et educat me in lucem (Mich. VII, 9). Et rursum: Benedicam te, Domine: quoniam iratus es mihi. Avertisti faciem tuam a me, et misertus es mei (Isai. XII, 1). Dominus quoque loquitur ad peccatorem: Cum ira furoris mei transierit, rursum sanabo (Ps. XXX, 20). Et hoc est quod in alio loco dicitur: Quam grandis multitudo bonitatis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te. Quae omnia replicant, asseverare cupientes, post cruciatus atque tormenta, futura refrigeria, quae nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est: ut dum supplicia reformidant, peccare desistant. Quod nos Dei solius debemus scientiae derelinquere, cujus non solum misericordiae, sed et tormenta in pondere sunt; et novit quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare. Solumque dicamus, quod humanae convenit fragilitati: Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me (Psal. VI, 1; XXXVII, 1). Et sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus (Psal. XIII, 1), credimus aeterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiae sententiam judicis (I Cor. III, 13). [Sanctus Eusebius Hieronymus distinguit Gehennam ubi torquentur poena aeterna  morientes in peccato mortali a Purgatorio].

**FINIS**